Zeitschrift: Archiv für schweizerische Geschichte
Band: 3 (1844)

Quellentext: Suite des documents concernant l'histoire du Vallais
Autor: [s.n.]

Nutzungsbedingungen
Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Mehr erfahren

Conditions d'utilisation
L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. En savoir plus

Terms of use
The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. Find out more

Download PDF: 18.01.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, https://www.e-periodica.ch

I.

Suite des Documents concernant l'histoire du Vallais.

13. **Littera pacis et Concordiae factae inter illustrem Dominam Bonam de Borbonio Comitissam Sabaudiae atque Patriotas Valesii.**

Anno 1392. — 11 et 24. Novembr.[1])

(Copia ex Registro authentico in Cancellaria Seduni.)

Nos Bona de Borbonio Comitissa Sabaudiae administratrix, gubernatrix, et tutrix illustris filii nostri carissimi Amedei Comitis Sabaudiae, notum tenore praesentium facimus universis, quod cum inter quondam illustrem natum nostrum carissimum Amedeum Comitem Sabaudiae et nos tutorio et administratorio nominibus dicti filii nostri carissimi Comitis ex una parte, et Communitates Vallesii ex altera parte aliquales discordiae, inimicitiae, rancores et odia diu regnaverint et existant ex quibus guerrae et infinita damna hinc et inde secuta fuerunt multorum corporibus hostiliter infectis, multis villis et domibus ignis incendio crematis et quam pluribus aliis obstaculis subsecutis nosque nostro et dicti filii nostri carissimi Comitis nominibus ad preces et requisitionem nobilis Petri de Raronia, Domini Annivisii, Domini Guillelmi et Guichardi ejus

[1]) Voyez la Première Partie du mémoire sur le Développement de l'Indépendance du Vallais, t. I. p. 7 et 8, No. 5.

filiorum de consensu et voluntate inferius descriptorum a communitatibus Vallesii cum plenitudine potestatis ad sonum campanae in eorum consilio electorum prout fidem faciunt per publicum instrumentum receptum per Dominum Carolum de Narres notarium publicum sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, indictione quindecima, die undecima novembris et primo Joannis Waltheri de Castellione, Hiltebrandi visi de ..... Symonis Majoris de Monasterio, Martini Borter, Joannis Stervent, Joannis Stand, Joannis .... Jacobi Aymonis, Joannis de Platea de Selquignent, Joannis de Brama, Joannis probioris, parochiae de Conches: item Joannis Nicolai de Botmen, Antonii Mathen, Simonis sutoris, Petri Gerie de Sylva, Petri Juchno, Joannis Fabri, Mathaei de Burgo, Urbani Derminout, Severini de Vyesch, Valtheri ad Petram, Joannis Grasso Clerici, Joannis Bocast de Lax, Aymonis Sulni, Antonii de Rede, Joannis hospitis, Joannis Christiani, Antonii Rolens, Martini Furer parochiae de Aragnon· Item Petri Nusbom, Joannis ..... Petri Mans, Joannis ..... Georgii Valq, Joannis apud equum, Martini Mathaei, Joannis Borchae, Joannis Fabri de Guifas, Joannis Nusbom de Rede, Jacobi apud coupom parochiae de Morgia; item Rodulphi de Rarognia Domicelli, Rodulphi Binchini, Hudrici carpentoris, Joannis haeretici, Rodulphi Grina, Petri ..... Nicolai Ovis, Joannis Vulgni, Gerardi de Terment, Joannis Grini, Arnaldi carnificis, Petri Janfent, Antonii Castellani de Narres, Joannis de Urtica, Vuillelmi et Joannis Simplonand fratrum, Antonii Quartini de Chamosono parochiae de Narres; item Joannis Hudrici Domicelli, Joannis Verra, Joannis Roduti, Joannis Sturint, Joannis de cruce, Joannis Floris, Joannis Longi, Joannis apud Studen, Petri Rolini, Vuillelmi apud Albini, Joannis Lengen de Choson Parochiae de Vespia; volentes ad bonam pacem, transactionem et concordiam cum praenominatis de Vallesio devenire, ne caetera damna, guerrae et obstacula ulterius oriantur, participato consilio cum dilectis et fidelibus consiliariis nostris infra scriptis ad bonam pacem, firmam concordiam, compositionem et transactionem devenimus in hunc modum, inprimis

quod bona pax, sincerus amor et perfecta dilectio sint et esse debeant inter nos tutorio et administratorio nomine dicti filii nostri comitis et inter illos de Vallesio nostrosque et eorum adjutores, valitores et sequaces perpetuis temporibus valitura et quod cum omnes rancores, odia, inimicitiae, caedes, incendia, vulnera, homicidia, injuriae et offensiones, quae hinc inde in personis et bonis illatae vel illata sint et esse debeant remissa hinc inde perpetuis temporibus et quittata et in praedicta pace non derogando generalitati praedictae intelligitur comes Grueriae, Humbertus de Billens Episcopus Sedunensis, Dominus de Turre, communitas de Berno, communitas de Friburgo cum eorum sequacibus et adjutoribus in quantum tamen concernit guerram modernam illustris nati nostri et dicti Domini Episcopi de Billens nostroque tutorio et administratorio nomine praedictis et communitatum praedictarum: item quod mediantibus praedictis et infra scriptis et occasione ..... omnium supra scriptorum et expensarum et damnorum per dictum quondam natum nostrum charissimum nosque tutorio et administratorio nominibus praedictis nostrosque subditos, valitores, adjutores et sequaces ..... ipsae communitates Vallesii scilicet: Hudricus don Chablo, Nicolaus Fourna, Joannis Lobis, Peronetus Fabri, Vuillermus de Charrens, Hudricus filius Joannis Fourri, Antonius filius quondam Pereti Uldrion, Vuillodus Fovec, villagii de Varona parochiae Leucae; item Balsaredus de Aula clericus, Nicoletus Montana, Perrodus Bastaillart, Hudricus ejus frater, Perrodus Guenchi, villagii de Sarqueno; item Robertus de Moupvent, Antonius Damsech, Joannis Ressoti de Laques, Johannetus Eurici, Joannes Bellon, Joannes Morodi, Joannes Brunodi, Vuillermus Pulliae, Nicolaus .... Perrodus Don Crest, Villeucus de Annivisio, Antonius Bossa parochiae de Sirro; item Petrus Martini, Joannes Joca, Joannes Rened, Joannes de Pralphani, Petrus de Platea, Jaquemetus Corduroni, Petrus de Revers, Petrus don Douchent, Joannes Benedicti parochiae de Lens; item Perronetus Bossoney, Benedictus Cloan, Joannes Varniae, Jaquemetus Garni, Antonius Jullious, Perrodus Briout, Joannes Altec, Joannes Luyat, Perrodus de Pertreris, Perrodus

Lyros, Guillelmus de Briemes, Germanus Bathela, Germandus Duc, Stephanus Poxterii parochiae de Saviesa; item Vuillermodus de Canali, Jaquemetus Borcast, Joannes Vionnart, Mermetus des Cheneven, Jaquemetus Gribernaci, Mermetus Trot, Perrodus Raltlon, Joannes Viord, Joannes de Saxo parochiae de Orens, Joannes Major, Martinus Glastiec, Perrodus ejus frater, Perrodus Gallet Major parochiae de Nax et de Vernamiesi; item Antonius de Canali, Petrus Glastiec, Vuillermodus Clarmont, Antonius Delbor Parochiae de Magy; item Vuillelmus Saltheri, Joannes Vrientes, Nicolaus Nicolai, Vuillermetus de Crantorii, Vuillermetus de Ecclesia, Joannes Morardi, parochiae de Grimisua, item Joannes Fridrici, Aymonodus Guillelmi' Petrus Ogery parochiae de Leuca; item Petrus de Rarognia, dominus Annivisii, Domini Guillelmus et Guichardus ejus filii de consensu et voluntate eorum patris, Joannes Castellari Samo, Perretus de Bertorens, Perrodus Roul, Joannes Bisonas parochiae de Annivisio; item Martinus Pellicérii, Martinus Schamberti, Joannes Arnandi, Petrus Gondin, Petrus Moricae, Aymo Crous, Martinus Girordolo, Joannes de Geita, Joannes Phi, Hudricus Budti, Jaquemetus Aquesson, Antonius Mantzou, Martinus Murisod, Hudricus Mantrou, Perrodus Lino, Vuillermodus Eyrou, Martinus Varnery parochiae de Ayent; item Joannes Bastelliart clericus, Perrodus Nantennec .... ejus frater, Johannetus de Lalex, Vuillermodus de Magy, Perretus de Oches parochiae sancti Leonardi; item Chamasetus de Bagnes, J. Berno, P. Bentzoni, J. de Nynda, P. Pierro, Nicolaus Morat, Martinus Morandi clericus, Joannes Lombardi, Joannes de Agretes, Joannes de Lafada, Joannes de Furno, Perrodus Vellam, Joannes Fossieri, Joannes Caro, Joannes Metralliae, Perrodus de Saxo, Joannes de Bolobron, major de sindicis, Petrus Magieti de Basolon, Martinus Nicolaus de Granthon parochiae de Herens; item Stephanus le Fourprado parochiae de Granges; item Jaquemetus de Ponti, Mermetus Rossili dictus quartam parochiae de Loy: item Martinus Garachodi, Hugonetus Trous, Johannes Odom, Franciscus d'Ayent, Antonius Tecto civitatis sedunensis habentes plenariam potestatem ipsorum et communitatum suarum

praedictarum nominibus ut constat publico instrumento recepto manu magistri ..... Notarii sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, indictione quindecima, die decima mensis novembris dare et solvere et expedire realiter promittunt nobis tutorio et administratorio nominibus praedictis seu certe nostro nuntio in civitate sedunensi XXV millia florenorum auri boni ponderis ad rationem septem solidorum mauristensium vel quatuordecim solidorum lausaniensium pro quolibet floreno implicanda qualibet ..... pro novem denariis lausanensibus termino infra scripto videlicet: in festo beati Martini hyemalis proxime venienti in unum annum cum damnis, missionibus et expensis quas sustinere nos contigerit occasione dictae florenorum quantitatis non solutae loco et termino supra dictis, acto quod facta solutione dictorum viginti quinque millium florenorum castra Turbillionis, Majoriae et Montis-Ordei Domino Episcopo sedunensi qui pro tempori fuerit debeantur reddi et expediri, et si forte contingat dictam quantitatem florenorum ante terminum memoratum solvi, eo casu dicta castra nobis statim facta dicta solutione et completa dictorum XXV millium florenorum ut supra eidem domino Episcopo qui pro tempore fuerit postulata per dictas communitates suo et suae ecclesiae nomine expediantur et tradantur per dilectum, fidelem consiliarium nostrum dominum Ybletum, Dominum Challandi et Montis Joveti sine contradictione quacumque, si tunc ibidem Episcopus fuerit, et si non fuerit eo casu dictis communitatibus nomine Episcopi futuri dicta castra expediantur prius completa solutione praedicta, ita quod homagia et alia quae de jure Dominus Episcopus tenetur illustri Domino filio nostro charissimo dictae communitates, syndici et procuratores ad hoc specialiter per easdem communitates eligendi dictum homagium dicto filio nostro charissimo facere teneantur. Et etiam illustris filius noster charissimus comes praedicto Episcopo sedunensi si fuerit, alias procuratoribus et syndicis dictarum communitatum nomine futuri Episcopi similiter faciat quae de jure tenetur, quae quidem XXV millia florenorum loco et termino supra dictis solvenda et alia singula firmiter complere et invio-

labiliter observare nos praenominati videlicet de Leuca et a Leuca inferius omnes de consensu et voluntate praedictarum communitatum nostrarum promittimus per juramenta nostra ad sancta Dei evangelia corporaliter praestita et sub fide corporum nec non sub bonorum nostrorum et dictarum communitatum obligatione de solvendo quantitatem praedictam termino et loco memoratis cum damnis, missionibus et expensis hinc inde factis et fiendis. Quae castra Majoriae, Turbillionis et Montisordei de praesenti ponimus et tradimus dicto domino Ybleto, domino Chalandi et Montis Joveti tenenda et custodienda nomine nostro; sumptibus tamen dictarum communitatum donec et quousque nobis de praefatis quantitatibus integram solutionem fecerint ut supra tam pro salario quam pro supportandis omnibus custodiis dictorum castrorum praedicti homines de Leuca et de Leuca inferius promittunt solvere et expedire nomine Episcopi et Communitatum praedictarum eidem domino Ybleto stipulanti et recipienti pro se et suis pro custodia dictorum castrorum tria millia florenorum ad rationem pro quolibet floreno septem solidorum maurisiensium et de quibus tribus millibus florenorum debeant solvere dictae communitates supra dicto domino Ybleto de praesenti duo millia et reliquos mille florenos in festo beati Martini proxime venientis; quod si praedictae communitates solverent ante terminum memoratum praedicta viginti quinque millia florenorum quod de tribus millibus florenis de salario dicto domino Ybleto constituto pro rata temporis salarii dictorum trium millium florenorum tantundem eis deducere et detrahere debeat; qui dominus Ybletus ex nunc prout ex tunc promittit per juramentum suum corporaliter praestitum et suorum bonorum obligatione dicta castra bene et fideliter custodire neque alicui expedire nisi nobis seu filio nostro aut successoribus nostris donec ad satisfactionem completam dictorum viginti quinque millium florenorum volensque praedictus dominus Ybletus quod ubi praefatae communitates Vallesii deficerent in solutione praedicta ipse dominus Ybletus obliget et afficiat nobis et dicto filio nostro castra et castellanias suas Castellion, Challandi et Montis Joveti cum universis

juribus et pertinentiis earumdem, voluitque et consensit praedictus dominus Ybletus, quod nos nostro et tutorio nomine praedicti filii nostri Comitis possessiones dictorum castrorum et jurium suorum capiamus et nobis retineamus pro satisfactione praedictorum viginti quinque millium florenorum nobis non solutorum termino supra dicto, ipsique homines et communitates praedictae de Leuca et inferius per fidem eorum et juramenta ut supra promittunt ipsum dominum Ybletum suosque et ejus bona seu causam ab ipso habentes indemnes servare sub omnium suorum obligatione bonorum; item actum est et conventum, quod adeo quod dictus dominus Ybletus tutius dicta castra custodiat, ipse dominus Ybletus constituitur Ballivus Vallesii a Raspilia inferius ab utraque parte Rhodani et hoc de voluntate praedictarum communitatum, donec ad satisfactionem integram dictorum XXV millium florenorum cum potestate exercendi merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem, ita tamen quod ipse debeat unicuique reddere et reddi facere jus supra pontem sedunensem ubi est assuetum jus reddi per probos homines Vallesii a Morgia superius, aliquem non opprimere in bonis vel in persona quousque per probos homines fuerit cognitum super offensa per quemcunque facta a Raspilia inferius, in quibus bannis et offensis et aliis emolumentis quibuscumque occurentibus in dicto ballivatu a Raspilia inferius ultra salarium suum percipiat tertiam partem. Et de praesenti in locum ipsius domini Ybleti durante termino constituit dominum Petrum de Chevrono militem ejus locumtenentem ballivatus praedicti; item promiserunt et juraverunt omnes praedicti homines de Vallesio eorum nominibus et dictarum communitatum ipsum dominum Ybletum protegere et deffendere totis viribus contra omnes et ipsum fortem faciendo et sibi parendo et obediendo et quod ei nec ejus familiae et servitoribus non facient vel impendent per eos seu per alios violentiam seu injuriam aliqualem ..... castra praedicta et regimen dicti ballivatus possit et valeat utiliter et fideliter gubernare infra limites praedictos et tempus sui regiminis ..... item quod facta solutione dictorum XXV millium florenorum quandocunque praedicto termino vel infra

dictum terminum ut supra dictus dominus Ybletus et successores sui castra praedicta teneantur et debeant ut supra libere expedire, retinendo sibi omnes et singulas res et bona quae habebit pro tunc in castris praedictis quae possit exinde extrahere et expedire cui voluerit et suae fuerit voluntatis; item est actum de voluntate et consensu et per cognitionem omnium hominum de Vallesio superius descriptorum nominibus suis et communitatum praedictarum quod expulsi a suis locis et proprietatibus scilicet Antonius de Platea de Vespia, Joannes Marticulari de Narres, Berthodus Vusychin, Theodulus Poneti de Leuca, Perrodus — suavis dominus Vychardus presbyter, Stephanus de Gollet, Roletus de la Murenchi, Roletus ejus filius, Theodulus Martini Ogier, Hudricus filius quondam Stephani Petri dictus ..... Antonius Bertrando de Sirro, Petrus Blaguer cum ejus filio, Roletus Arunberti de Leuca, Joannes Bastardus, Joannes Peroneti, Stephanus Ballet, Perrodus Rollier de Varona et omnes alii qui expulsi sunt causa et occasione guerrae supra dictae debeant et possint impune reverti ad sua propria et integre restituantur, et quod de bonis et rebus ipsorum exstantibus possint pacifice et quiete gaudere sicut ante guerram praedictam utebantur et gaudebant per se vel per alios quoscunque et omnes rancores et odia hinc inde remissa sint. Item est actum et conventum quod quaeque beneficia propter guerram dictam per quemcunque dictis beneficiis restituantur. Item est actum et conventum quod pro bono pacis et concordiae omnia bona quaecumque existentia in toto Episcopatu sedunensi videlicet a Morgia superius quaecumque occupata tam ab una parte Rhodani quam ab alia illa bona libere et absque impedimento aliquali debeant integre restitui omnibus hominibus tam masculis quam foemellis sive sint nostri subditi sive alterius cujuscumque. Et etiamsi aliqua bona per homines nostros essent praedictis hominibus de Vallesio per quemcumque occupata ratione guerrae praedictae illa bona volumus eisdem libere restitui et ipsis bonis gaudeant prout et quemadmodum ante praesentem guerram faciebant, quam pacem, finem et concordiam nos comitissa praedicta nomine nostro tutorioque et administratorio nomine dicti

filii nostri comitis; et nos praedicti homines de Vallesio nominibus nostris et communitatum praedictarum laudamus et ratificamus et emologamus expresse nostris spontaneis voluntatibus et promittimus una pars alteri solemniter stipulantibus et intervenientibus per juramenta nostra tactis evangeliis sacrosanctis sub obligatione bonorum nostrorum mobilium et immobilium et dictarum communitatum praesentium et futurorum quorumcumque praesentem pacem, et concordiam et omnia et singula in praesenti littera contenta habere, tenere perpetuo grata, rata et valida et contra ea vel ipsorum aliqua ullo tempore facere vel venire volenti in aliquo consentire. Promittentes nos praenominati quod omnia et singula praedicta faciemus infra quindecim dies laudari et ratificari hominibus communitatum nostrarum. Renunciantes nos dicta comitissa tutorio et administratorio nominibus quibus supra per juramenta nostra ex nostris certis scientiis omni actioni et exceptioni doli mali, motus et ..... conditione indebiti sine causa, pacis, finis et concordiae, promissionis et obligationis et aliorum praedictorum non vi, non legitime factorum, omnique alio juri canonico et civili quo contra praemissa vel ipsorum aliqua possemus facere vel venire et juri dicenti generalem renunciationem non valere nisi praecesserit specialis. Datum Seduni die vicesima quarta mensis novembris anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo. In cujus rei testimonium nos comitissa praedicta praesentes litteras concedimus sigilli nostri munimine roboratas per dominam praesentibus Dominis Oddino de Villariis, Montis Joveti, Corgeronis Mellionati, Girando Destre, Petro de Muris sancti Mauritii, Guichardo Marchiandi et Jacobo Champion. Et nos dictae communitates Vallesii dictas litteras sigillis dictarum communitatum duximus esse sigillandas.

14. Littera sculteti et consulum Villae Friburgi, Castellano et communitati contractae Contegii.

Anno 1442. — XI. Julii.

(Ex Archivio Contegiano.)

Scultetus et consules Villae Friburgi, Castellano et communitati contractae Contegii. — Nobili honorabilibusque et providis viris Castellano et communitati contractae Contegii, amicis nostris carissimis. — Honorabiles, amici carissimi; amicabili recommendatione praemissa; Intelleximus per litteras Nobilis Domini et amici nostri carissimi Domini Ballivi de Chablex, etiam relatione honorabilis viri Peronetti Cavelli, quod illi de Savisia in quampluribus articulis obviant et contradicunt pronuntiationi factae per strenuos milites advocatos de Berno et Villae nostrae, non obstantibus promissionibus et paenis compromisso super haec confecto designatis: — quod indisplicentiam gerimus non modicam; — attentis laboribus pro eadem causa per dictos Arbitros, pro bono pacis et bono zelo susceptis. — Eademque praesentialiter per litteras nostras reverendo in Christo patri et domino Episcopo Sedunensi mandamus et significamus, cum instanti requisitione, quod Paternitas Sua in hoc tale remedium apponat, quod vos titulum non habeatis super praemissis ulterius conquerendi; et speramus quod R. P. sua bonum super ipsis reperiet remedium. — Quapropter requirimus amicitias vestras, quod adhuc gratiose supersedere velitis in praemissis. — Nam suae Reverendae paternitatis benignum responsum expectamus. — Altissimus vos conservet juxta vota. — Datum die XI. Julii, anno Domini MCCCCXLII.

(L. S.) Scultetus et consules Villae Friburgi.

15. Transactio inter Waltherum de Supersaxo, episcopum sedunensem, ex una, et nobiles fratres Hilprandum et Petermandum de Rarognia, dominos Vallis Annivisii, ex altera parte, ratione jurium regalium quae obtinebant in eadem Valle se moventium ab Esclesia sedunensi et mensa episcopali.

Anno 1460 et die secunda mensis Augusti.

(Anna-Josephus de Rivaz, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, t. XIV. p. 549—556.)

(Ex Archivio Communitatis dictae Vallis autographum desumptum ex autographo authentico sigillo Leonardi praepositi officialis sedunensis et subsignatione duorum notariorum publicorum firmatum, seu ex *Vidimus* de anno 1482, 20. Maii.)

In nomine Domini, amen. Noverint universi et singuli hoc praesens instrumentum inspecturi, lecturi et audituri quod, cum quaestionis materia verteretur inter reverendum in Christo patrem dominum Waltherum, episcopum sedunensem, nomine Ecclesiae et mensae suae episcopalis, ex una, et nobiles ac potentes viros Hilprandum et Petermandum de Rarognia, fratres, dominos Annivisii, partibus, ex altera, super eo videlicet quod dicti nobiles fratres indebitati et pro maximis suis debitis persolvendis necessitati fuerunt vendere homines, servitia, homagia, redditus, jura et tallias sibi in valle Annivisii debita eaque actu vendidissent, dictus vero dominus sedunensis in contrarium allegabat dictos nobiles eadem jura, homines, servitia, homagia, redditus et alia supra dicta, maxime in manu mortua, videlicet feudatariorum et vassalorum suorum, vendere minime posse nec debere, nec conditionem ecclesiae suae quae directum dominium in praemissis in tota valle Annivisii habet facere deteriorem dicens et allegans dictos nobiles castrum de Vissoye, vallis Annivisii regaliam, merum et mixtum imperium, jurisdictionem altam et bassam et homines totius vallis Annivisii cum suis pertinentiis possidere sub feudo et homagio ligio ecclesiae sedunensis, item vicedominatum de Anni-

visio cum fructibus, redditibus, censibus, emolumentis, juribus et pertinentiis universis in augmentum feudi pro quinque libris annualibus, item et majoriam loci cum hominibus, redditibus, servitiis, juribus et emolumentis suis, item multa alia augmenta dictorum feudorum, prout haec suis docuit litteris et informationibus in specie sigillatim productis et exhibitis, unde, secundum informationes per dictum dominum sedunensem productas et juris omnis dispositionem, idem dominus sedunensis dicebat et allegabat omne et quidquid dicti nobiles in dicta valle possidebant et habebant, tam in dominio jurisdictionis quam aliis, movebantur et moventur de feudo et sub homagio suo et ecclesiae suae ligio. Petebat insuper eosdem nobiles recognoscere et specificare sigillatim per metas et confines tam homines quam bona quae possidebant et possident in valle de Annivesio prout ad haec per sententiam illustrissimi principis et domini Aedei ducis Sabaudiae Aquiani (Evian) latam latius continebatur, quam in specie exhibebat, necnon secundum recognitiones tam per dictorum nobilium genitorem quam per eosdem factas in manibus bonae memoriae domini Andreae, sui praedecessoris, cum pacto expresso quo juramentis suis spoponderunt hujusmodi feuda specificare, prout haec etiam sufficienter edocuit, quorum praetextu dictus dominus sedunensis dictos nobiles suos vassallos requisivit, de eisdem per ipsos satisfieri sibi homagia, laudes, vendas, placita et alia jura praestari et solvi in eventum contrarium de juribus suis et commissionibus protestando. Dicti vero nobiles confessi fuerunt se castrum, regaliam, vicedominatum, majoriam, merum et mixtum imperium vallis Annivisii et homines ejusdem vallis, altam et bassam jurisdictionem vallis cum suis pertinentiis et aliqua specialia augmenta feudorum possidere in feudo et sub natura feudi et homagii ligii a dicto domino sedunensi et ejus ecclesia, quae etiam non intenderent vendere sed pro se habere et debitum sibi et ecclesiae suae fidelitatis et homagii ac alia praestare se offerebant, dicentes feuda sibi et suis praedecessoribus recognita et alia jura quae inibi possedebant et possident de praesenti non comprehendi, nisi forte aliqua modia

quae tamen specificare non possent ignorantiae causa et aliqua per ipsum dominum sedunensem petita quae ipsi non possident, de quibus ut dominus sedunensis sequatur sua feuda contenti sunt et maxime de cancellaria, et si qua alia feuda ecclesiae reperiantur de quibus non sunt in possessione; Producentes insuper multa acquisita per suos praedecessores in dicta valle, in quibus acquisitis nulla de re feudali ecclesiae fiebat mentio; dicentes iterum non teneri ad aliam specificationem quam in antiquis litteris continebatur et multa alia pro se allegabant. Dictus dominus sedunensis contrarium replicaturus reproduxit extentas, informationes, litteras, instrumenta et jura suae ecclesiae, recognitiones dictorum nobilium ipsorum genitorum et ejus praedecessorum, necnon pronuntiationem Aquianensi supra allegatam, quorum vigore contrarium per dictos nobiles fieri debere dicebat et allegabat intentionem suam pro se in jure communi esse fundatam, sed, quia dubius est litis eventus, considerantes ipsae partes quod jam retrofluxis temporibus inter dictum dominum Andream, sedunensem episcopum, et dictos nobiles, tam ratione praemissorum quam aliorum debatorum inter ipsas partes versorum, multae et innumerabiles expensae et labores habitae sunt, cupientes rationem ex praeteritis hujusmodi causae litique potius amicabili tractatu quam juris vigore finem imponere, certorum mediorum utriusque partis amicorum tractatu pacis et concordiae interveniente, dictus dominus sedunensis pro se et suis successoribus fiet in quantum capitulum sedunense ea laudare voluerit et non aliter nec alio modo et dicti nobiles pro se et suis heredibus et causam habentibus et habituris ab eisdem ad concordiam, pacem et transactionem perpetuam pro se et suis praedictis perpetuo valituram, unanimi consensu et maturo consilio per ipsos, ut dicebant, habito, in modum et formam prout in capitulis et clausulis et reservationibus subscriptis singillatim describitur devenerunt et primo: quod nobilis Hilprandus de Rarognia praedictus, de praedictis consensu et voluntate jamdicti nobilis Petermandi ejus fratris, recognoscere debeat se esse hominem ligium dicti domini sedunensis, ecclesiae et mensae episcopalis sedunensis, et se

tenere in feudum homagii ligii ab eodem domino episcopo, ecclesia et mensa episcopali castrum et cristam castri de Vissoye cum terris et domibus, item novas domus, spicarum graneas, carceres et omnia aedificia quae habent in villa Vissoye, cum hortis, recursibus et pertinentiis suis, nihilo excepto, item regaliam, altum dominium, vicedominatum, majoriam et omnimodam jurisdictionem, altam et bassam, et homines totius vallis Annivisii quos ipsi aut sui praedecessores et illi a quibus causam habent habuerunt, pro quibus dicto domino sedunensi facere debent homagium ligium et juramentum fidelitatis in talibus consuetum praestare; item quod idem Hilprandus praemissa ad vitam suam tanquam usufructuarius tenere, capitali inconsumpto, et de eisdem et fructibus inde provenientibus gaudere debeat et possit cum pacto solemniter expressato et convento quod, post mortem ipsius Hilprandi, omnia praedicta, regalia, altum dominium, vicedominatus, majoratus, plena jurisdictio, alta et bassa et homines loci ut supra unacum castro, crista, domibus, aedificiis, cellariis, piscariis, graneis, hortis, recursibus et omnibus supra mentionatis libere et sine cuiuscunque impedimento ad ecclesiam et mensam episcopalem revertantur et reverti debeant pleno jure, ipse quoque nobilis quovis colore quaesito in praemissis non possit nec sibi liceat conditionem ecclesiae et mensae episcopalis facere deteriorem; item quod dominus sedunensis, nomine ecclesiae et mensae praedictae, nomine et pro jure feudali dictae suae ecclesiae et mensae ac pro laudibus et vendis quae et quas ipse vel sui successores quomodolibet habere possent in futurum in et super feudis et vassallis quae et quos ipsi nobiles vel nobilis Rodulphus Esperlini ab ipsis tenet sive acquisivit quibuscunque titulo seu causa, duntaxat habere debeat decem libras servitii annualis in et super hominibus ligiis et eorum feudis, tenementis, redditibus, censibus et servitiis dictorum nobilium quos ipse dominus sedunensis duxerit eligendos, unacum fidelitatibus, feudis, directis dominiis et obligationibus prout ipsis nobilibus ante praesentem transactionem fuerunt obligati, et ipsi nobiles, dicta electione facta, dictum dominum sedunensem et ejus men-

sam debeant inducere in possessionem effectualem et realem eorumdem dominiorum et feudorum usque ad valorem dictarum decem librarum annuatim ex nunc in antea annuatim recuperandarum cum eorum feudis, hominibus et pertinentiis, mediantibus quibus dictus dominus sedunensis pro se et suis praedictis cedere et quittare debeat et teneatur laude sui capituli omne jus feudale quod ipse nomine ecclesiae suae et mensae praedictae quomodolibet habere posset super hominibus, feudis, servitiis, talliis, redditibus, censibus quibuscunque quae et quos et quas dicti nobiles vel nobilis Rodulphus Esperlini nunc habent et possident in tota valle Annivisii ita et eo modo quod ipsi nobiles omnia praedicta possint vendere et alienare et francare feuda ligia alia a praedictis decem libratis ultra franca et in allodium vendere et alienare et guerentire, juribus feudalibus ecclesiae et mensae episcopalis sedunensis non obstantibus, quae omnia jura, jurisdictione, alto dominio ut supra exceptis suis, quae dictus Hilprandus recognoscere debet et tenetur prout supra expressum est, mediantibus saepe dictis decem libratis et feudis, esse quitta et franca ab ipso domino sedunensi et ejus ecclesia ac mensa debeant, salvis et reservatis dicto domino sedunensi et ejus ecclesiae regalia, alto dominio, vicedominatu, majoria, plena jurisdictione, alta et bassa, et hominibus loci, unacum castro, crista, domibus, aedificiis, cellariis, spicariis, grangiis, hortis, recursibus et omnibus aliis supra mentionatis, necnon homagiis et feudis quae ipse dominus episcopus et mensa sua episcopalis in dicta valle habent et possident et maxime juxta formam et secundum tenorem recognitionis et specificationis factae per Johannem de Annivisio prout in instrumento recepto manu Jacobi de Pontali, notarii publici, dato sub anno Domini MCCCXXXIX, indictione septima, die Martis ante festum corporis Christi, in castro Turbillionis, latius legitur contineri. Et, si qua alia specialia et nominata jura ab his reperiret, quod sibi et ecclesiae suae salva existant. Item, si reperiat aliqua feuda in dicta valle de quibus ipsi nobiles fratres, vel Rodulphus Esperlini ipsorum nomine, non tenerent vel fuerunt in possessione, quod illa feuda sequi possit. Item, dominus se-

dunensis, nomine suae ecclesiae, in praesenti transactione non intendit includere nec includit feuda sua quae ipse vel sua ecclesia habet extra vallem praedictam, si eadem aliquas branchias vel jura haberent in valle, quae feuda non intendit dividere neque minuere, nec aliquo modo hic includere, promittentes, dictae partes et earum quaelibet, videlicet dictus dominus episcopus, pro se et suis successoribus episcopis sedunensibus, manu pectori more praelatorum apposita et sub obligatione omnium et singulorum bonorum ecclesiae et mensae episcopalis sedunensis, et dicti nobiles et eorum quilibet per juramenta sua, tactis per eos et eorum quemlibet in manibus mei, notarii publici, infra scripti Scripturis sacro-sanctis et sub obligatione omnium et singulorum bonorum suorum, mobilium et immobilium, praesentium et futurorum, quorumcunque et ubicunque existentium, omnia et singula per et inter ipsos concordata et conclusa prout superius describuntur per se et suos haeredes et successores in posterum causamque habentes et habituros ab eisdem tenere, adimplere et inviolabiliter, inconcusse et integre ac plenarie observare in omnibus et singulis suis punctis, clausulis et capitulis, et nunquam in perpetuum, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, palam vel occulte, quavis occasione, titulo, sive causa, contra praemissa vel aliquod eorumdem facere, dicere, vel venire, aut in aliquo se opponere, nec alicui in aliquo eorumdem contra facere, dicere vel venire volenti quovis modo consentire, quin immo ea et quodlibet eorum sibi vicissim, pro se et suis praedictis, in juditio vel extra, contra omnes perpetuo defendere, manutenere et libenter guerentire omnem evictionem litis contra venientem alternatim altera partium super hoc requisita fuerit in juditio et extra in se assumere, incipere, mediare et finire sine onere missionum, dampnis et expensis partis guerentiam petentis et eamdem indempnitati in integrum restituere juramentis suis et sub obligationibus ut supra, renuntiantes insuper, partes praenumeratae et earum quaelibet, prout ipsas et earum quamlibet tangere et concernere potest et debet, pro se et suis supradictis, omni exceptioni, non sic facti aut celebrati contractus

sive concordiae hujusmodi, quin immo aliter fuisse dictum, concordatum, conclusum et recitatum quam scriptum et e converso, juri quo decepto ultra medium justi pretii subvenitur, ac juri dicenti renuntiationem generalem non valere nisi praecesserit specialis et generaliter omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, loci et patriae consuetudinibus, juribus scriptis et non scriptis, consuetudinariis et municipalibus, civilibus et canonicis quibus contra praemissa aut praemissorum aliqua facere, dicere vel venire possint in futurum aut in aliquo se tueri, juramentis suis et sub obligationibus et hypothecatibus bonorum dictae ecclesiae et mensae ac dictorum nobilium et suorum quorum supra. De et super quibus omnibus et singulis supra dictis, praefatae partes et earum quaelibet sibi a me, notario publico infrascripto, fieri petierunt unum vel plura publicum seu publica instrumentum et instrumenta, tot quot fuerint necessaria vel requisita, unius substantiae et tenoris, quae possint corrigi et refici et rescribi, ac in dictamen opportunum sapientium emendari, substantia praemissorum in nullo mutata, et nihilominus dictae partes, pro firmius singulis praemissis attendendis et observandis, sigilla sua in robur et testimonium veritatis singulorum praemissorum praesentibus duxerunt apponenda. Acta fuerunt haec, in choro ecclesiae castri Valeriae, in magna Calenda, in praesentia venerabilium virorum dominorum de Capitulo Calendam tenentium, necnon discretorum virorum Johannis Gasser, Maffei de Bertherinis, Guillielmi Verniez, sacerdotum-servitorum dictae ecclesiae, ac Matthiae Gobellini, Antonii Villenci et Henrici Varnerii, notariorum publicorum, testium ad praemissa vocatorum et in testimonium praemissorum specialiter rogatorum, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, indictione octava et die secunda mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii, divina Providentia papae, secundi anno secundo, et me praesente, Thoma Chesueloti, clerico viennensis diocesis, baccalaureo in decretis, canonico ecclesiae sedunensis suprascriptae, publico apostolica et imperiali auctoritatibus notario, qui praemissis

omnibus et singulis, dum sicut praemittitur fierent et agerentur, unacum praenominatis testibus praesens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, idcirco praesens publicum instrumentum, aliena manu fideliter scriptum, signo meo solito et consueto hic me subscribendo signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum requisitus et rogatus.

Thomas Chesueloti,
cum parapho.

* * *

Tenor laudis dicti venerabilis capituli sequitur et est talis ut ecce:

Nos, Johannes de Lusserio, decanus, et Rodolphus Kaeff, sacrista, Jacobus in Campo, Petrus Regis, Petrus Cochardi, Johannes Acariae, Georgius Mulitoris, Andreas de Sillinon *(Sillinen)* Johannes Ekart, Thomas Chesueloti, Petrus de Mota, Leonardus Propositi, Anthonius Parvi, Johannes et Petrus de Cancelis, canonici sedunenses, in ecclesia Valeriae ad sonum campanae, pro infra scriptis et aliis ecclesiae nostrae pertractandis negotiis, ut moris est, congregati et existentes capitulumque nostrum sive Kalendam tenentes et celebrantes, visis instrumento sive charta suprascripta necnon omnibus et singulis clausulis et capitulis in eo sive in ea contentis et descriptis eisque diligenter inspectis et examinatis, habita quoque de et super eisdem per et inter nos matura deliberatione, considerantes exinde et attendentes quod praemissa cedunt et cedere videntur in evidentem et grandem ecclesiae sedunensis et mensae episcopalis utilitatem, ex nostra certa scientia et spontanea voluntate, ea omnia et singula, prout melius notuimus et possumus, laudamus, ratificamus et approbamus laudavimusque, ratificavimus et approbavimus eis et eorum singulis nostrum dantes et concedentes consensum pariter et assensum. In quorum omnium et singulorum testimonium et robur praemissorum, praesentes nostras litteras exinde fieri et per concanonicum juratumque nostrum infra scriptum subscribi et signari mandavimus nostrique sigilli capitularis jussimus appensione communiri. Datum et actum, in praedicta calenda

nostra in ecclesia Valeriae ut praemittitur tenta et celebrata, sub anno, indictione, die, mense, loco, pontificatu et coram testibus in instrumento superius mentionato descriptis et nominatis.

De mandato praefatorum venerabilium dominorum decani et capituli.

Thomas Chesueloti,
cum parapho.

(Sigillum Capituli appendens.)

---

16. Littera qua Waltherus, sedunensis episcopus, praefectus et comes Vallesii, communitatibus desenorum inhibuit et defendit confoederationem necnon burgensiam Ligis factas sine scitu et consensu expresso dicti episcopi.

Anno 1460 sexta septembris.

(Ex Annae-Josephi de Rivaz, canonici sedunensis *Vallesium episcopale*, ab anno 1206 ad 1482, tomo III., (manuscrit) page 667.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen! Anno a nativitate ejusdem millesimo quatercentesimo sexagesimo, indictione octava, cum eodem anno sumpta, die sexta mensis septembris, in ecclesia parrochiali sancti Mauritii de Narres *(Natters)* in mei notarii publici testiumque subscriptorum praesentia, reverendus in Christo pater et dominus Waltherus, Dei et apostolicae Sedis gratia, episcopus sedunensis praefectus et comes Vallesii, sentiens et per experientiam videns quod nuntii communitatum de Luceria *(Lucerna)*, Uren et Unterwalden, nominatim Rodulphus Schiffmann de Luceria, amman Buntiner de Uren et amman Lemdrest de Unterwalden a dictis missi fuerunt et sunt communitatibus ut quamdam praetensam confoederationem seu verius recognitionem dudum ut fertur factam burgesiae oppidi Luceriae necnon esse patriotas apud Uren et Underwalden per homines commu-

nitatum desenorum patriae Wallesii, videlicet a Monte-Dei supra de Narres, de Vespia, de Sirro *(Sières)* et de Seduno, renovare facerent secundum tenorem inde olim factarum litterarum jurandum per eosdem homines patriae Vallesii masculini sexus a quatuordecim annis supra aetatem habentes desenorum antedictorum commodum et honorem dictarum communitatum de Luceria, Uren et Unterwalden procurandum, damnum siquidem et incommodum fideliter evitandum et jura burgesiae et patriotarum de Luceria, Uren et Unterwalden servandum et fideliter insequendum perpetuis temporibus et alia ut in ipsis litteris adimplendum, igitur obviandi renovationi et juramentorum praestationi ut oneri praelaturae et episcopalis dignitatis incumbebat praenominatis patriae hujus Vallesii communitatibus in personam missorum nuntiorum a dictis communitatibus, de Seduno videlicet: nobilis Rodulphi Esperlini, Johannis Kalbermatter, castellani de Sirro, Johannis Albi, castellani, Nantelmi Waltheri de Vespia, Thomae Arnoldi Venetz, Jacobi Majoris notarii et Hans Majoris et caeterorum aliorum de Narres, Ogidii an de Komban, Caspar Partitoris, Martini Zuren, Francisci Gabrielis, Caspar Künen, Jodoci Owlig, Laurentii Uff-den-Biel majoris, Johannis de Prato, Simonis Stelin, Nantelmi Uff-der-Eggen, Theannea Kriggen, Michaëlis Tschampen, Anthonii Hospitis, Vincentii Sthertig, Georgii Volcken et plurimorum hominum dicti deseni per dictas communitates missorum palam coram dictis clientiis Ligarum ante dictarum, inhibuit districte et defendit omnibus dictarum communitatum hominibus et personis, sub poena praestitorum sibi juramentorum ac vigore fidelitatis et obedientiae in quibus tanquam domino ipsorum et Ecclesiae suae sedunensi tenentur adstricti, necnon sub poena excommunicationis et interdicti, ne ipsi aut ipsorum alter nuntiis Ligarum praenominatarum aliquam facerent obedientiam juramentorum aut novam recognitionem sive confirmationem aut ratificationem praemissae burgesiae aut jurium patriotarum antedictorum aliquo modo seu ipsorum de Luceria burgensium aut dictorum de Ury et de Unterwalden patriotas obligando, jurando et recognoscendo sine scitu et consensu expresso et voluntate dicti domini sedunensis episcopi,

prout nec se praeter voluntatem ejus quoquo modo obligare possent, offerens dictis nuntiis et missis super hoc ambassiatoribus juri parere tam coram sanctissimo domino nostro papa quam coram imperatore aut alio quocumque judice competente ubi et coram quo hujusmodi causa venit de jure audiendum et decidendum, rogans eosdem ambassiatores et quantum sua intererit eisdem districte mandans et praecipiens ne ultra hoc contra suos subditos praenominatos et cum eisdem aliquid novi attemptarent neque ad receptionem aliquorum juramentorum praemissorum, renuntiationem aut ratificationem, prosilire praesumerent, tacite vel expresse, quoniam, si secus fieret in aliqua parte dictae suae patriae aut per aliquos suos subditos, de remedio juxta opportunitatem provideret suo loco et tempore. De quibus omnibus testes sunt: dominus Wullielmus Uff-der-Eggen, curatus de Narres, dominus Johannes Nicodi, curatus de Aragno, Hans Perrini, domicellus, Perrodus Fornier de Leuca, Mauritius Kalbermatter et Paulus Tufenscher de Raronia, et plures alii.

---

17. Ludovicus, dux Sabaudiae, committit duobus e suis consiliariis ut querelas suas deferant episcopo de quibusdam excessibus hominum de Savisia erga homines de Contegio.

Anno 1461, 27 junii.

(Ex Annae-Josephi de Rivaz, diplomatibus manuscriptis, Tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) paginis 557—558.)

(Ex Archivio domestico nobilium *Du Faes* montheolensium.)

Ludovicus, dux Sabaudiae, venerabili viro domino Johanni Michaëlis, praeposito Vercellarum, et Mermeto Vuandi, fisci nostri procuratori, consiliariis nostris fidelibus et dilectis, salutem.

Relatum est nobis multos et varios excessus et insultus violentiasque et usurpationes per Vallesienses et maxime homines

et incolas de Savisia super finibus et territorio Contegii aliisque locis nostris tum nobis tum etiam fidelibus nostris de Contegio hactenus factas, et praesertim, a paucis diebus elapsis, ipsos homines de Savisia pascua et communia ipsorum nostrorum subditorum Contegii nonnullasque ipsorum possessiones proprias violenter et manu armata invasisse et occupasse et alia egisse et perpetrasse quae in informationibus proinde sumptis vobis exhibendis latius expressa sunt et declarata. Quae sic tolerare nolentes, cum praesertim in jurium nostrorum ipsorumque detrimentum non parvum, ac etiam contra formam initarum confoederationum pronuntiationesque per honorabiles *schultetos (avoyers)* Berni et Friburgi ac alios arbitros superiore tempore censeantur, vobis igitur et vestrûm cuilibet insolidum attente committimus et mandamus quatenus, visis praesentibus, ad locum Contegii et alia opportuna loca vos transferatis, vocatisque vobis assistentibus ballivo nostro Chablasii ac etiam dilecto fideli nostro commissario Perroneto Cavelli de et super mentionatis usurpationibus jurium nostrorum ac etiam ipsorum hominum Contegii necnon violentiis et insultibus per ipsos Vallesienses ut supra factis, de qua mera et omnimoda praemissorum veritate vos diligenter et veridice informetis et etiam nos informetis si ipsi nostri subditi de Contegio in aliqua parte culpabiles comperiantur et deinde quidquid in veritate comperietis nobis illico litteris clausis rescribatis; et nihilominus ad reverendum in Christo patrem episcopum sedunensem accedatis illumque hortemini et requiratis nostrâ parte ut de et super hujusmodi jurium nostrorum usurpationibus violentiisque et insultibus per ipsum ejusque officiarios et subditos ut superius illatis adeo plenam et condignam restitutionem et satisfactionem fieri faciat et procuret cum effectu quod nostrae et ipsorum nostrorum subditorum indemnitati dici valeat satisfactum, *nec opus sit de aliis gravioribus justitiae remediis cogitare.* Responsionem autem ipsius episcopi et quidquid circa haec duxerit providendum nobis utique rescribatis, ut, ipsa vestra fideli rescriptione visa, securius circa haec valeamus providere, nos enim ad praemissa omnia sic agendi et eis incumbendi vobis et cuilibet vestrûm plenam per

praesentes concedimus potestatem ab omnibusque aliis officiariis fidelibus et subditis nostris pareri volumus et intendimus velut nobis. Datum, Pineroli, die 27. junii anno Domini 1461., per dominum, praesentibus dominis Anthonio, ex marchionibus Romagny, cancellario, Johanne, domino Burfalti, mareschallo et marchione Sancti Saturnini et comite de Varax, Guygone de Seisigniaco, praesidente patrimoniali, Ludwico Bonerardi, magistro hospitii, Stephano Stablie, Johanne Domperneri, advocato, et Bernardo Maglochi, thesaurario.

Loys.

Lestelley *(l'Etoile)*, secretario.

(Copia facta diligenti collatione cum proprio originali per me *Henricum de Croso*, notarium.)

---

18. Annivisienses deponunt summam 2900 florenorum in manibus domini Waltheri, sedunensis episcopi, quam cui expediri debeat, Rodulphone Esperlini, an fidejussoribus baronum de Rarognia erga dominos Bernenses, injudicatum relinquit usque ad dietam assignatam ad diem trigesimam mensis novembris proxime futuram.

Anno 1462, 11. Novembris.

(Anna-Josephus de Rivaz, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, Tomi XIV. pag. 561—567.)

(Ex Archivio Communitatis Vallis Annivisii.)

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, indictione decima cum eodem anno more romanae curiae sumpta, die vero undecima mensis novembris, qua fuit et celebratur festum beati Martini confessoris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina Providentia papae secundi anno quarto, ex tenore hujus veri et publici instrumenti universis et singulis, praesenti-

bus et futuris, hoc praesens instrumentum publicum visuris, lecturis seu etiam audituris evidenter liqueat et sit notum quod, apud civitatem sedunensem, in castro Majoriae et stuphella ejusdem castri, fuerunt coram reverendo in Christo patre et domino Walthero, Dei et apostolicae sedis gratia, sedunensi episcopo, praefecto et comite Vallesii, nostrûmque, notariorum et testium subscriptorum, praesentia personaliter et ad infra scripta peragenda specialiter constituti probi homines infra scripti, omnes vallis Annivisii, diocesis sedunensis, videlicet: Johannes Rion, etc., ad infra scripta specialiter destinati, qui nomine, vice ac pro parte totius communitatis vallis Annivisii et singularum personarum ejusdem vallis, ut dixerunt, assistente et pro eisdem loquente honorabili viro Laurentio Groëlly, notario, eorum advocato, et per organum ejusdem, praefecto domino nostro domino episcopo sedunensi, tanquam eorum superiori domino in spiritualibus et temporalibus in Terra Vallesii, cum debita reverentia exposuerunt qualiter et quomodo nobilis et potens vir Hilprandus de Raronia, dominus vallis Annivisii, pro solvendo certam quantitatem pecuniae per eum et suos praedecessores debitam sub obligatione omnium bonorum suorum dominis de Berno, ipse nobilis Hilprandus de eisdem suis hominibus de Annivisio pure, gratis pro se et suis vendidit redditus, census, servitia et placita feudorum, tam planorum quam ligiorum et cesariorum, cum eorum dominio et senioria juribusque laudis, placitationis et commissionis et retentionis, praetereaque aliis juribus sibi pertinentibus in praemissis, necnon redditus quatuor-viginti castrorum quos annuatim percipere solebat in eadem valle, certo pretio et terminis et solutionibus inter eos apunctuatis et conventis, de laude et consensu ipsorum dominorum de Berno vel ipsorum causam habentium, quod quidem pretium voluit ipse nobilis Hilprandus deliberari debere per eosdem homines vallis Annivisii dominis de Berno seu eorum fidejussoribus, per eosdem de Annivisio ipsis dominis de Berno datis. Verum, pater reverendissime, post hypothecam et obligationem praemissas, quas dictus nobilis Hilprandus eisdem dominis de Berno tenebatur, nobili et potenti

viro Rodulpho Esparlini, de Seduno, vendidit, sicut fertur, ab una parte centum florenos redditus super feudis certis in Annivisio, cum eorum dominio et senioria, pretio duorum millium florenorum patriae, et redditum quatuor-viginti castrorum pretio noningentorum florenorum consimilium, cum certis pactis, ut dicitur, inter eos adjectis, de et pro quibus ipsi nobilès Hilprandus et Rodulphus mutuo quaestiones et litigium ac differentias habuerunt. Tandem, super eorum quaestionibus et differentiis fuit quaedam pronuntiatio facta per quatuor notabiles viros de consilio lucernensi, per quos, ut fertur, pronuntiatum extitit quod dominus Annivisii eidem nobili Rodulpho pretium emptionis praemissae sub reemptione et reacheto ad hodiernam diem inclusive solvere deberet, alias quod idem nobilis Rodulphus sua emptione gaudere et uti deberet et teneretur, sicut fertur, vestraque reverenda paternitas praemissa quemadmodum gesta fuerunt non ignorare dixerunt. Cum igitur ipsi homines dictae vallis habeant causam dominorum de Berno et ipsius domini Annivisii et ne reacheti tempus labatur neque ipsi in futurum fraudentur *(et pour qu'ils ne soient frustrés)* juribus suis et adquisito seu emptione per eosdem facto, cum, in pecuniis praemissis duorum millium et noningentorum florenorum, domini de Berno seu eorum fidejussores et praefatus Rodulphus, quilibet ipsorum praetextu suarum obligationum, jus habere praetendant, satisfaciendo per eosdem homines de Annivisio infra tempus reacheti in quo sunt praefertialiter, ut dixerunt, de dictis redditibus, virtute dictae pronuntiationis dominorum de Luceria *(Lucerna, Lucerne)*, impetiti et solutioni dominorum de Berno seu eorum fidejussorum. Ne alicui dictam summam et quantitatem pecuniae solvant indebite, dictam summam duorum millium florenorum, ab una parte, et 900 consimilium, ab alia, occasione praemissorum debitorum, ad opus et jus cujus vel quorum de praesenti pertinet et pertinebit in futurum de jure, animo solvendi *(dans l'intention de payer)*, realiter et de facto, quantum in eis est, dictae pronuntiationi obtemperando et in ejus executionem, ne eis et alteri ipsorum, nunc vel in futurum, praejuditium inferre possit, in manibus reverendi patris domini nostri

sedunensis episcopi praefati, veluti in manibus justitiae, deposuerunt et exhibuerunt praedictam summam et pecuniae quantitatem, in auro videlicet ducatis, scutis rhenensibus ac moneta paculo contentis, prout in praesentia nostrûm, notariorum et testium subscriptorum, oculariter ostenderunt ad videndum et exhibuerunt citra numerationem seu calculum de eadem pecuniae quantitate in eodem paculo contenta factam, protestantes, dicti homines, nomine vallis praedictae, per organum cujus supra, ex nunc de juribus suis quodque per eos non stat, nec stetit, aut in futurum stabit, quominus eorum debitum non fecerint de satisfaciendo dicto domino Rodulpho virtute dictae pronuntiationis dominorum de Luceria *(Lucerna)* et parti cui de jure ipsa pecuniae summa tradenda et solvenda venit et debet, protestantes etiam quod, si de et in eadem summa pecuniae per eosdem deposita realiter et animo solvendi aliquid superesset, quod ipsis reddatur et, si aliquid desit de eadem, offerunt se per integrum completuros, caventes, ipsi praesentes *nuntii*, pro eadem valle, de supplemento refundendo unus per alium in casu defectus, juramento et obligatione subscriptis, petentes et instanter requirentes hujusmodi depositum judiciale intimari et significari partibus quibus interest, videlicet nobili Rodulpho Esperlini et fidejussoribus erga dictos dominos de Berno constitutis seu alteri eorumdem, quod depositum petierunt benigne admitti et auctoritatis judiciariae interponere munimen pariter ac decretum, officium reverendi patris domini nostri sedunensis episcopi pastorale humiliter implorantes, de quibus deposito, protestationibus et omnibus et singulis praemissis dicti nuntii destinati nomine dictae vallis et singularum personarum ejus fieri per nos, notarios subscriptos, publicum instrumentum et tot quot habere voluerint instrumenta dictandum et dictanda consilio et dictamine unius vel plurium in jure sapientis aut sapientium, addendo, mutando vel minuendo litteram et litteras, dictionem et dictiones vel orationes facti tamen principalis substantia in aliquo minime variata. Quibus omnibus praemissis auditis et intellectis atque visis, praelibatus dominus noster sedunensis episcopus, supra quoddam bancum fusteum ad hujusmodi actus faciendos more

majorum sedens, praememoratum depositum necnon protestationes supra factas admisit, in quantum de jure et consuetudine cedunt, et saccum in quo dicta summa pecuniae continetur sigillo dicti Laurentii Owelly sigillari jussit prout ibidem incontinenti sigillatus extitit, jubens ulterius per nos, notarios subscriptos et juratos, hujusmodi judiciale depositum dictis nobili Rodulpho et fidejussoribus ipsorum dominorum de Berno aut alteri ipsorum intimari et significari ipsosque citari et assignari ad horam vesperorum praesentis diei, non obstante die feriato, attento quod dies sit dicti reacheti visuros discuti de hujusmodi pecuniis cui pertineant et pertinere debebunt ac expediendae venient ipsosque homines de Annivisio absolvi et quittari de eadem summa pecuniae occasione et praetextu omnium et singulorum praemissorum. Actum fuit hoc, Seduni, ubi supra, praesentibus ibidem pro testibus discretis et probis viris Johanne Cordonerii, notario, magistro Hugone Rigolaz, physico, habitatore sedunensi, Johanne Wyberti de Grona, Jacobo Gilioz, Johannodo de Udarrel, parrochiae de Nax, Petro et Johanne Gilioz de Ucogny, fratribus, parrochiae de Lens, ad praemissa vocatis et rogatis, et nobis, Johanne de Pictu et Anthonio Chafferelli, aliàs de Vallesio, notariis publicis, qui de praemissis requisiti notarii sumpsimus, etc.

(Signaverunt tres notarii) Johannes de Pictu.
Antonius Chaferelli.
Johannes de Torrente.
(cum paraphis.)

Tenor intimationis et depositi et citationis.

Ea vero die, nos, prae et subscripti notarii, in executionem ordinationis et mandati per praefatum reverendum nostrum sedunensem episcopum nobis verbo et juditialiter facti, ad instantiam et requisitionem variorum missorum pro parte communitatis vallis Annivisii, vivae vocis oraculo intimavimus et significavimus nobili Rodulpho Esperlini et Petro de Torrente, notario, uti confidejussori dominorum de Berno, pro eisdem de Annivisio

personaliter computis, quantum ad alterum ipsorum concernit, depositionem praemissam quantitatis pecuniarum per eosdem de Annivisio hodie factam in manibus et posse dicti domini nostri sedunensis episcopi, ipsosque et eorum quemlibet citavimus ad horam vesperorum praesentis diei, feria non obstante, coram eodem domino nostro sedunensi episcopo, visuros discuti cui vel quibus ipsa pecunia tradenda et solvenda venit vel pertinet, ipsosque homines de Annivisio praesentes, nomine dictae vallis, de eadem summa 2900 florenorum absolvi, quittari ei liberari, et alias fieri ut juris erit et rationis. Anno et die praemissis, hora vesperorum dicti diei adveniente, coram reverendo domino nostro sedunensi episcopo, comparuerunt dicti nuntii de Annivisio et iterato exposuerunt domino, praesente Henrico Warnerii, procuratore ad hoc misso vice et pro parte nobilis Rodulphi Esperlini, et Petro de Torrente, notario, confidejussore pro eadem valle erga dominos de Berno, ut supra dixerunt et deponentes ut supra dictam summam 2900 florenorum causis praemissis, ut asseritur, per dominum Annivisii debitorum, a quo et dominis de Berno causam habent, animo solvendi, realiter in manibus et posse dicti domini nostri sedunensis episcopi deposuerunt, et quod ita sit dominus noster sedunensis episcopus eisdem Henrico et Petro, quibus supra nominibus, quantum ad alterum eorum interest, hujusmodi summa pecuniae seu debito interveniente, quia petierunt se de hujusmodi debito absolvi, quittari et liberari per ipsosque discuti cui vel cujus ipsa pecunia interest, pastorale officium domini nostri sedunensis episcopi implorando. Comparuit ibidem, ex adverso, dictus Henricus Warnerii, procuratorio nomine nobilis Rodulphi ad hoc citati, praesentibus dictis nuntiis et Petro de Torrente, confidejussore pro eadem valle erga dominos de Berno, qui dixit, nomine quo supra, quod dicti homines de Annivisio bene sciunt cum quo agere habeant et a quo emerunt, quoniam dominus Rodulphus, suus magister, intendit parere et stare pronuntiationi dominorum de Luceria *(Lucerna)* et sententiae latae per dominum nostrum sedunensem episcopum et suos patriotas in Seduno, dicens ulterius quod, licet in sacco sibi ostenso sint pecuniae,

nescit tamen si sint in integrum vel in parte. Comparuit etiam ibidem dictus Petrus de Torrente, confidejussor erga dominos de Berno, pro valle Annivisii, et se opposuit supra ipsum depositum, dicens, in eisdem pecuniis, dominos de Berno, seu ipsum et ejus consortes, jus et hypothecam habere; quare, cum ipsemet sit anxius et inconsultus, petiit diem ad hujusmodi conferentiam cum suis confidejussoribus, non consentiens quod ipsa pecunia in manibus dicti nobilis Rodulphi deponatur seu expediatur, sed in manibus justitiae teneatur ad opus cujus vel quorum intererit, quousque de eadem discussum fuerit juridice, petens terminum sibi assignari ad conferendum cum suis consortibus. Quibus auditis, dominus noster sedunensis episcopus et admissis dicto deposito et protestationibus supra factis, in quantum de jure cedunt, interrogavit eumdem Petrum, si consentiret quod ipsas pecunias depositas tradere deberet ipsi Henrico? — qui dixit quod non, quia ipse, confidejussorio nomine erga dominos de Berno, jus habere praetendit in eisdem — et tunc assignavit eumdem Petrum, nomine quo procedit, ad habendum conferentiam cum ejus consortibus, ad proximum festum beati Andreae, quae (dies) erit ultima novembris, qua die certi domini de Berno et Friburgo hîc interesse debent, tuncque, si non consentiat deliberationi pecuniae, cum suo patriotarum consilio convocando discutiendum cui ipsa pecunia veniat deliberanda de jure. Datum, Seduni, die et anno praemissis (11. Novembris) quos sumpsimus et signetis nostris signavimus nos, Johannes de Torrente et Anthonius Chafferelli, alias de Vallesio, notarii publici, mandato domini nostri sedunensis episcopi, in fidem praemissorum.

Cum subscriptione et signeto trium notariorum: Anthonii Chaferelli, Johannis de Pictu et Johannis de Torrente.

(Signaverunt cum paraphis.) Anthonius Chaferelli.
Johannes de Pictu.
Johannes de Torrente.

19. Decretum Waltheri de Supersaxo, episcopi sedunensis, latum in pleno consilio generali nuntiorum omnium desenorum patriae Vallesii, apud Narres habito, praescribens modum quo et domini Bernenses et Rodulphus Esperlini valeant creditas per se summas nobilibus fratribus Hilprando et Petermando de Rarognia, tunc dominis de Toggenburg, ex eorumdem fratrum bonis et dominiis in Vallesio existentibus repetere prioritate hypothecae dominis bernensibus adjudicata.

Anno 1462, 10. Decembris.

ANNA-JOSEPHUS DE RIVAZ, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, Tomi XIV. pag. 569—572.)

(Ex Archivio Communitatis Vallis Annivisii.)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, amen. Per hujus publici instrumenti seriem, cunctis evidenter liqueat et sit manifestum quod, anno salutiferae nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, indictione decima cum eodem anno sumpta, die siquidem decima mensis decembris, infra castrum saxi de Narres *(Natters)*, in conspectu reverendi in Christo patris et domini nostri domini Waltheri, Dei et apostolicae sedis gratia, episcopi sedunensis, praefecti et comitis Vallesii, nostrûmque, notariorum publicorum, et testium subscriptorum praesentia, ad infra scripta peragenda, praesentialiter et personaliter constituti: spectabiles et prudentes viri Nicolaus de Diesbach et Ymer Graff*(enried)*, Hans *(Johannes)* Russi, ambassiatores per magnificos dominos schultetum *(l'avoyer schultheis)* atque consilium bernensis oppidi, ex una, et nobilis Rodulphus Esperlini de Rarognia, partium ex altera, cum ita sit quod nobiles Hilprandus et Petermandus de Rarognia, fratres,

domini de Toggenburg, memoratis dominis schulteto et consilio bernensi obligaverint, jam multis transactis annis, et impignoraverint dominium, census, servitia, redditus, homagia et omnia jura ipsorum vallis Annivisii, item vicedominatum, domum, bona ipsorum de Leuca *(Louèche)* et in valle de Boes *(Bains)* et aedificia, prata et possessiones inibi existentes, item dominium, redditus, servitia, census, jura ipsorum de Agent, item decimam, vineas, prata, aedificia, redditus et jura ipsorum in Sarquenio situata et inde omnia ipsorum fratrum bona, quaeque sint, in Patria Vallesii existentia, cum juribus et pertinentiis ipsorum universis, pro summa et quantitate trium millium et quingentorum florenorum rhenensium semel vel circa et centum septuaginta-quatuor florenroum Rhenensium census annualis inde solvere conventorum per ipsos fratres, in defectu solutionis dictae summae unacum expensis sustinendis per eosdem dominos schultetum et consilium bernense, prout haec et alia latius litteris inde confectis et sigillatis describuntur. Ipsa itaque summa cum retentis dicti census plurimorum annorum retrofluxorum, facto finali computo cum dictis Hilprando et Petermando, fratribus, pervenit ad quantitatem sex millium florenorum rhenensium, pro quorum solutione se, ad preces eorumdem fratrum, obligaverunt cum ipsis fratribus fidejussores et consolutores principales: nobilis scutifer Johannes de Cervent, Hans et Theodolus Perrini, Petrus de Torrente et Nicolinus de sancto Leonardo, ut authentius constat litteris et documentis. Inde est quod dicti domini ambassiatores, parte et nomine praefatorum dominorum schulteti et consilii bernensis, praefatum dominum nostrum sedunensem episcopum missosque nuntios et ambassiatores omnium desenorum Patriae hujus Vallesii per eumdem dominum sedunensem convocatos sollicita cum expectatione et requisitione rogaverunt ut dictos eorum fidejussores consolutoresque dicti debiti de praementionatis omnibus bonis ut supra obligatis investire illaque ad manus illorum ponere dignaretur vigore factae remissionis eisdem per jam dictos schultetum et consilium bernense et promissae guerentiae in communi per dictum nobilem Rodulphum Esperlini allegatis et productis, allegandis vel pro-

ducendis non obstantibus, viso maxime quod ipsa bona omnia primitus et antequam dicto Rodulpho vel alicui fuerint et sine obligatu et quia ipsa obligatio eidem Rodulpho nota fuit et manifesta. Ad haec omnia cum per eumdem nobilem Rodulphum objiceretur et allegaretur: primo, quod praenarrata bona dictis dominis bernensibus pro quinque millibus florenorum monetae Patriae hujus Vallesii fuerunt impignorata, de qua summa et in illius deductionem ipse solvisset XIII^ies^ centum florenorum rhenensium, sic ipsa bona non plus quam pro resta solutionis dictae quantitatis possint censeri de jure obligata, eo quia suae informationes, tituli acquisitionis in dicta praecedant litteras ipsorum dominorum bernensium postmodum factas; tum, secundo, quia per electos et deputatos arbitros oppidi lucernensis, videlicet: nobilem et providos viros Henricum de Huiwil, Henricum Huffurter, Petrum Ruost et Rodulphum Schiffiner, inter alia sit pronuntiatum quod ipsi nobiles Hilprandus et Petermandus de Rarognia, fratres, procurare debeant quod dicti domini bernenses quittarent omnia dicta bona cum juribus eorumdem quemadmodum in vim dictae pronuntiationis et novae assecurationis factae dictis dominis bernensibus per eosdem nobiles fratres et praelibatos eorum fidejussores factum est. Tum, tertio, quia, jam longo transacto tompore, ipse sequestrari procuraverit omnia bona ipsorum nobilium fratrum in Patria Vallesii existentia praeferentia et guerentia omnium bonorum per eosdem nobiles fratres aut alterum ipsorum sibi venditorum vel impignoratorum, quod sequestrum tollendum se fidejussores obligaverunt dicti Hans Perrini, Jodocus Owlig, Petrus de Torrente et Nicolinus de Sancto-Leonardo. Tum, quarto, quia semper obtulit et offert de praesenti dictis dominis bernensibus juri parere coram dicto domino nostro sedunensi, omni tempore et hora, si quidpiam super bonis per eum acquisitis petere voluerint et intendant, ex quibus dixit praefatos ambassiatores de eisdem dominiis, juribus, bonis, servitiis et jurisdictionibus fore investiendi et multo minus ipsorum praedictos fidejussores et consolutores. Tandem, post praemissas et multas alias hinc inde factas propositiones et replicationes, maturo consilio per memoratum dominum nostrum

sedunensem cum dictis nuntiis omnium desenorum Patriae hujus Vallesii habito, ipsorum juramentis mediantibus praestitis, consultum, decretum et conclusum est, visis productis hinc inde, propositis et allegatis et omnibus videndis visis animos eorum rationabiliter moventibus, quod dicti domini bernenses et proinde dicti fidejussores et consolutores in vim eis factae remissionis in possessionem mittantur, ponantur et inducantur omnium, universorum et singulorum bonorum, dominiorum, jurisdictionum, servitiorum, redditüum, censuum, rerum et jurium ipso jure pignorationis et obligationis traditorum ut supra, uti quod illis possent et frui illa vendendo, alienando, distribuendo et obligando usque ad integram solutionem dicti ipsorum debiti, census et expensarum, si qui vel quae sint, ad tenorem et continentiam litterarum et informationum eorumdem duntaxat, et, si quid de dictis bonis remanserit, facta solutione condigna dictis dominis bernensibus et de ipsorum debito, ad illa ipse nobilis Rodulphus pro sua justa actione habeat recursum, salva dicto nobili Rodulpho actione ad eosdem fidejussores qui se pro tollendo sequestro ut supra pro dictis nobilibus fratribus obligaverunt, si quam habere intendat, salvo itaque et reservato praefato nobili Rudolpho, si se meliores litteras in data et in forma exhibere possit in et super dictis bonis quam memorati domini bernenses, quod illud ei valeat, prosit et subveniat in quantum de jure debebit. Causa auctoritatis vel causae concernentis pronuntiationem dictorum dominorum arbitrorum de Luczeria (*Lucerna*), consulunt ipsi nuntii desenorum remittentes declarationi illorum qui ipsam tulerunt pronuntiationem: possit itaque ipse nobilis Rodulphus se juvare quittationibus suis ei per dictos dominos bernenses traditis ut juris ordo et determinatio dabit de et super factis per eum solutionibus, quo, ut praemittitur, modo dato consilio, videlicet: per Johannem Kalbermatter, Johannem Albi, Hemen am Troyen, de Seduno, Aegidium Uelloa, castellanum, Bertschen Aussen de Sirro, Perrodum Joris, Stephanum Manum, Henricum de Leuca, Franciscum de Riedmatten, castellanum, Thomelinum et Theodulum Venetz, Paulum de Embda, Anthonium ejus filium de Vespia, Johannem

de Pileo, castellanum, Aegidium in Deo Chambun, Martinum Zuren, Franciscum Gabrielis, Petrum Felison, Petrum Metzilton, me, Johannem Asper, notarium subscriptum, Bartholomaeum Prins, Anthonium Kunnen, Johannem an ober Fermen, Johannem Ruppen, Hans aun Wald, Wullielmum Hoden, Wullielmum Germat, Karolum Sippen, Laurentium uff dem Bat Grarores, Wullielmum Loyeres, Mauritium Dietzing, Martinum Rundellen, de Narres, Anthonium Walker, Hans super Wiesth, de Morgia, Nicolaum Prins, Hilprandum Oyes, Waltherum Hambrech, Anthonium Hospitis, Wullielmum Houler et Vincentium Schetinger, de Monte Dei, et in conspectu omnium partium, videlicet dictorum dominorum ambassiatorum bernensium, nobilis Rodulphi Esperlini, Hans Perrini et Petri de Torrente, fidejussorum et consolutorum, divulgato, ipsi omnes in solidum, quilibet pro suo interesse, illam ordinationem et datum consilium approbaverunt et litteras testimoniales in forma publici instrumenti et sub appensione sigilli regaliae dicti domini nostri sedunensis corroboratas sibi dari singuli ipsorum postularunt a nobis, notariis subscriptis, in testimonium veritatis omnium praemissorum, praesentibus ibidem venerabili et discretis viris domino Johanne Stephani, canonico sedunensi, domino Jacobo Muller, rectore ecclesiae sancti Germani, parrochiae Rarogniae, Michäele Tchampen, ballivo Vallesii, Hans Dietzing, Petro Fabri, Anthonio de Embda, servitoribus dicti ballivi, et pluribus aliis fide dignis pro testibus ad praemissa interpellatis. Ego autem, Laurentius Groelly, clericus novariensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, qui praemissis omnibus unacum dictis testibus interfui, indeque hoc instrumentum propria manu scriptum unacum discretis viris Francisco de Riedmatten et Johanne Asper, eadem auctoritate, notariis, recepi, in hanc formam authenticam redegi, signetum mihi solitum apposui, me subscripsi rogatus, in testimonium veritatis omnium praemissorum.

(Signavit) Laurentius Groelly, notarius,
cum parapho.

Ita est per me, Franciscum de Riedmatten, notarium publicum . . . . . subscriptum.

Franciscus de Riedmatten,
cum parapho.

Ita est per me, Johannem Asper, notarium publicum . . . . . subscriptum.

Johannes Asper,
cum parapho.

Collationata est haec praesens copia per nos, notarios subscriptos, cum suo originali, cui cum omnibus suis clausulis concordat, nihil addito nihilque remoto.

Datum, Seduni, die vigesima tertia mensis februarii, anno Domini MCCCLXX (1470).

Aegidius Deyto,
notarius publicus,
cum parapho.

Johannes Jullieti,
notarius publicus,
cum parapho.

---

20. Waltherus de Supersaxo, episcopus sedunensis, sumit possessionem dominii directi et utilis vallis Annivisii post obitum nobilis viri Hilprandi de Rarognia, ultimi de hac familia hujus vallis domini, et hominibus dictae communitatis duodecim franchesiarum et libertatum articulos confirmat.

Anno 1466, Indictione 14. *)

Anna-Josephus de Rivaz, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, Tomi XIV. pag. 585—592.)

(Ea *vidimus* authentico archivii communitatis Annivisii, 1. januarii 1561, ab ambobus notariis subscripto. *Claudius Sinfredus et Johannes Jordanus*, cum signetis.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Ex tenore hujus veri et publici instrumenti, universis et singulis, prae-

*) Il y en a deux copies et la date du jour manque à toutes les deux.

sentibus et futuris, liqueat evidenter quod, anno nativitatis ejusdem millesimo quatercentesimo sexagesimo sexto, indictione quatuordecima cum eodem anno sumpta, more romanae curiae applicato, reverendo in Christo patre et domino nostro domino Walthero, Dei gratia, sedunensi episcopo, praefecto et comite Vallesii, apud vallem Annivisii, in loco de Vissoyz, in quo ejusdem vallis sita est parrochialis ecclesia et tribunalis judicis sedes, constitutoque praefato domino episcopo secumque viro honorabili Gaspardo Partitoris, ballivo Terrae Vallesii, aliaque secum honesta comitiva, qui quidem reverendus dominus noster sedunensis verbotenus, allamanis verbis verbo romano sive gallico datis intelligi per discretum virum Laurentium Groelly, notarium, civem sedunensem, ejusdem domini nostri sedunensis secretarium, expressis communitati dictae Vallis Annivisii et singularibus personis ejusdem vallis, ad actum fieri peragendum subscriptum, ubi supra convocatis et congregatis, exposuitque quod, in vim concordiae seu arbitramentalis sententiae habitae et factae in causa quaestionum et differentiarum olim motarum inter praefatum dominum nostrum sedunensem episcopum, praefectum et comitem, ad opus mensae episcopalis, ex una, et quondam bonae memoriae Hilprandum de Rarognia ac Petermandum ejus fratrem, olim dominos vallis jurisdictionis Annivisii, partium ex altera. Fratres ipsi, post tamen decessum dicti Hilprandi, serie arbitralis concordiae praedictae exhibitae, de qua informatos homines vallis praedictae esse jam saepe pridem dicebat, dederunt, donaverunt et cesserunt atque perpetue remiserunt praefato reverendo domino nostro sedunensi episcopo, praesenti stipulantique tunc ad opus mensae jam dictae episcopalis sedunensis, videlicet dominium, jurisdictionemque et quaevis jura praesidialia, quod, quam et quae habebant, tenebant et possidebant ac exercebant, per se aut per personas interpositas, in tota valle Annivisii praedicta, ac pariter in et super omnia aedificia turris, stuphae, grenarii, aulae, stabuli et pertinentiarium ejusdem quae habebant et habent in praesenti valle Annivisii quavis ratione, titulo seu causa, quae, licet moventur de feudo seu feudis ligiis a dicta mensa episco-

pali sedunensi, voluerunt, post, ut praefertur, dicti Hilprandi obitum, utile dominium in singulis et quolibet praemissorum consolidari cum directo et applicari mensae praedictae prout ab origine fuerat incorporatum. Verum, quia, sicut Domino placuit, dictus Hilprandus suos dies in Domino clausit extremos, igitur, in vim jam dictae concordiae proque juribus ecclesiae jam dictae sedunensis conservandis adipiscendisque, petiit se, quo supra nomine, admitti ponique, immitti et induci in possessionem realem, corporalem et actualem per nobilem virum Petermandum de Rarognia, naturalem, nunc ad hoc castellanum vallis praefatae Annivisii et ejusdem vallis utilis dominii, alti, bassi, ac jurisdictionis omnimodae, sibique praestari possessionem pacificam praemissorum ac aedificiorum praenarratorum cum juribus et emolumentis ipsius jurisdictionis et dominii pertinentiisque ejusdem, quae solitus erat habere, uti et exercere per dictum quondam Hilprandum, in vim arbitramentalis pronuntiationis et quantum sua forma se potest extendere, sibique praestari juramentum fidelitatis et obedientiae per dictam communitatem et personas singulares ejusdem, ut de jure requiritur in talibus faciendum, offerens se facturum et adimpleturum de laudando, manutenendo libertates, franchesias, consuetudines et bonos usus dictae communitatis vallis Annivisii in eadem forma et per personas ad dominos temporales, banderetos pro tempore existentes ejusdem vallis, ab antiquo hucusque observatas, deque requisitis et subsecutis per me, notarium subscriptum, petebat sibi fieri instrumentum. Quibus promissis et expositis pro et parte dicti reverendi domini nostri sedunensis episcopi ad opus cujus supra et intellectis per homines communitatis praedictae ibidem ad praemissa congregatos in numero copioso, qui se pro sufficienter nominatis habere voluerunt, brevitatis gratia, ea quae exposita fuere in praesentiarum satis de dictae concordiae littera informati, quam ideo pro lecta habuerunt, volentes, uti obedientiae filii, justis obtemperare requisitis sibi factis, cum ad id obligatos se cognoscant, habita inter eos praecedentis consilii deliberatione decenti super hujusce modi requisitis, necnon de suis laudari faciendo franche-

siis, usibus et consuetudinibus, saltem quibusdam particularibus et specialibus, pro memoriae commendatione futuraque cautela, deque aliis quos non recordantur praesentialiter non infringi debere propterea solemniter protestantur; considerantes quod, sicut vassallus tenetur ad dominum, ita dominus ad vassallum, jure teste, ea propter voluerunt, consenserunt per dictum Petermandum, castellanum vallis antedictae, requisitum ad hujusmodi immissionem possessionis exercendae juxta proposita, requisita et oblata, dummodo fiant super requisitis et petitis, super se fieri inductionem possessionis pacificae praenarratae, salvis infra scriptis. Qui quidem Petermandus castellanus, praemissis attentis, de voluntate et jussu dictae communitatis et singularum personarum ejusdem, evocato in praemissis honesto viro Anthonio Chifferey, vexillifero dictae vallis, et extracto ex aerario communitatis vexillo, sursum extenso manualiter, illud, tam castellanus quam vexillifer, eidem domino sedunensi episcopo, ad opus cujus supra, dederunt, tradiderunt et porrexerunt in signum veri et naturalis dominii et jurisdictionis omnimodae, se de vexillagio penitus exuendo per dictam vexilli factam remissionem, quod benigne recepit suis in manibus viriliterque in Dei nomine et in honore sancti Georgii martyris vibravit et extendit, iisque actis illico dicto Anthonio Chifferey pridem vexillifero de novo subque ejus nomine tenendum, portandum et habendum, praestito medio vexilliferorum juramento restituit et reintegravit tam bellorum quam pacis tempore gerendum, hisque etiam peractis, omnes homines vallis antedictae legitimam aetatem habentes in manibus praefati domini nostri sedunensis episcopi fidelitatis et obedientiae juramentum, tamquam domino suo naturali et legitimo, directo et utili, ad et supra sacrosancta Dei Evangelia, unus post alium libenter praestiterunt viri fideles et obedientes vassalli fore et esse velleque esse et debere, sicut juris et consuetudinis forma persuadet faciendum, exactoque juramento, ad tribunal, locum causarum audiendarum applicatus, sedit pro tribunali more majorum et causas ibidem motas audivit jusque reddidit et diversos actus judiciales exercuit, ut in memorialibus juratorum et scriptorum curiae ante-

dictae continetur seu lege contineri memoriaeque commendari dicitur. Post modum, ad aedificia dictorum nobilium applicatus dictus castellanus praefatum dominum nostrum sedunensem, uti loci officiarius, in possessionem actualem et corporalem induxit per claviam domus praesentationem, apertionem, clausionem, introïtum et exitum aliaque fecit et exercuit ut in vero actu inductionis in possessionem tam jurisdictionis quam dominii utilis et directi incumbunt facienda. Qua quidem possessionis immissione sicut praemittitur facta, in vim praemissorum, arbitramentalis sententiae et concordiae ac donationis de dicto dominio ob causas in arbitramentali sententia declaratas, praefati homines communitatis antedictae, per organum virorum discretorum Petri de Torrente et Johannis Huldrici, ejusdem vallis notariorum publicorum, ob causas praescriptas praefato domino nostro sedunensi episcopo porrexerunt reverenter humiliterque, genibus flexis, praesentaverunt quoddam folium scriptum super suis hactenus observatis usibus, franchesiis, libertatibus, saltim quibusdam specialibus, exordientes ..... (sequuntur aliqui speciales quos inferius require), quas franchesias, consuetudines et bonos usus supplicaverunt benigne admitti, consensum laudemque praestari servarique perpetue, quo siquidem folio per praefatum dominum nostrum sedunensem suscepto lectoque et viso, super ejus continentia habita deliberatione sibi assistentis consilii, praefatus dominus episcopus annuit eisdem articulis scripto propria manu, ut in fine cujuslibet articuli de omni et simili littera continetur, eosdem admittendo secundum ipsarum reservationum tenorem, cujusquidem folii intellecti scripti et reservationum tenores sequuntur in haec verba:

Sequuntur aliqui speciales et particulares articuli seu clausulae bonorum usuum, consuetudinum morumque quibus communitas praesens vestrae reverendae paternitatis vallis Annivisii est et fuit per tempora longiora in possessione pacifica et quieta uti, frui, eisdem, sine contradictionis obstaculo laudabiliter observati, per memoriam hominum non de contrario existit.

Et primo quod ipsa vallis Annivisii, ut in eadem est jurisdictio limitata, per se aut per (nuntios suos) solitaque fuit

unum propinare dominum banderetum, jurisdictionem propriam et vexillum proprium, tam tempore bellorum quam pacis, sub qua jurisdictione et vexillo homines dictae vallis debent ire et sub eisdem jurisdictione et vexillo vivere et parere et non sub aliquo alio quocunque vexillo. — Responsio ad articulum: Contentus est quod, sicut pro praeterito erat, in futurum maneat vivantque cum episcopo sedunensi cumque vexillo suo sicut homines sui et cum nullo alio veniant.

Secundus articulus. Item, quod dicti domini Annivisii qui pro tempore fuerint sint in pacifica possessione exercendi jurisdictionem merumque et mixtum imperium, altum et bassum dominium in dicta valle. — Responsio ad articulum: Confitetur et contentus est sicut verus dominus loci praedicti, salvo appellationis remedio ad dominum episcopum sedunensem, praefectum et comitem Vallesii, pro tempore existentem, canonice intrantem.

Tertius articulus. Item, super eo quod nullus alius officiarius quicunque, sive sit ballivus aut alter officiarius seu familiaris dicti domini episcopi sedunensis, aliquem actum executioni mandari fecerit aut facere potuerit in dicta valle nec in aliquo loco territorii dictae vallis, prout ad haec ita observari petunt dictis officiariis non officiari licere neque debere. — Responsio ad articulum. Contentus est quod ita sit, excepto, si dominus aliquem de familia mittat, quod ei obedientiam faciant; tamen evitabit tales nuntios, nisi videat justam causam.

Quartus articulus. Item, quod ipsi homines dictae vallis fuerunt et sunt in possessione pacifica sine contradictione eligendi castellanum dictae vallis, qui per annum duntaxat habeat officium et exercere jurisdictionem dictae vallis, qui per dominum dictae vallis habebat et debet confirmari et stabiliri. — Reponsio: Non credit, quia ponere officiarium proprie pertinet ad dominum, nec hoc cum honore facere posset: vult se tantum tenere quod habebunt contentari.

Quintus articulus. Item, quod ipsa communitas habet eligere et stabilire saltherium dictae vallis duraturum ad beneplacitum ipsius communitatis, qui saltherus juramentum

solitum habeat praestare in manibus castellani. — Responsio : Contentus est castellanum unacum voluntate communitatis deputent aliquem qui etiam gratus sit domino et juret domino ut consuetum est, aut dominus providebit quod honestius est cum voluntate communitatis et gratum communitati.

Sextus articulus. Quod, si fiat aliqui rixantes et se verberantes, extra limites seu franchesias villae Vissoy, usque ad effusionem sanguinis inclusive, quod tunc et casu accidente, castellanus nullam clamam neque bannum ab eisdem habeat petere neque exigere, nisi deposita penes clama per partem aut alteram partium, sanguinis effusione cessante. — Responsio : Refert se ad antiquas consuetudines, si ita per dominos loci ab antiquo servatum est, quibus derogare non intendit.

Septimus articulus. Item, quod fuerunt et sunt in possessione quod, de bannis incursis domino, castellanus habet et debet dimittere tertiam partem (1/3) banni incursi, et, de aliis duabus partibus, nullum tertium de pluri recipere ab illo qui tale bannum incurrerit, sed ad taxam proborum recipere de bannis talis delicti teneatur. — Responsio : De parvis bannis, si hoc habeat approbata consuetudo, quam ipsis servabimus.

Octavus articulus. Item, quod, finito tempore castellani, ipse castellanus debeat infra quadraginta dies a tempore finiti sui officii purgare clamas et banna; alias, lapso termino, eidem solvere non teneantur, nec castellanus ipse solus audiatur. — Responsio : Refert se consuetudini hactenus observatae quam servabit.

Nonus articulus. Item, quod homines dictae vallis tempore bellorum non adstringi debeant plus exire de valle quin prius sui passus custoditi et muniti esse debeant. — Responsio : Cum domino suo sub ejus banderia teneantur ire cum aliis patriotis in defensionem Terrae Vallesii, nisi inimici essent juxta suos confines, defendere primo possunt passus suos.

Decimus articulus. Item, quod fuerunt in possessione pacifica, quod homines dictae vallis potuerunt et possunt eligere et ponere procuratores custodesque rerum publicarum per quos habeant facere publica negotia, pignorare et pignora levare,

irrequisito alio officiario vallis praedictae. — Responsio: Hoc quod est de bona consuetudine non intendit infringere, pro bono communitatis.

Undecimus articulus. Item, parte communitatis hominum dictae vallis, humiliter supplicantur praefato domino sedunensi episcopo quatenus sua reverenda paternitas dignetur indulgere privilegium et libertatem specialem ne deinceps quis successorum suorum dominorum episcoporum non possit nec sibi liceat dictam jurisdictionem dictae vallis ulterius infeudare nec in feudum ponere alicui hominum in futurum, quum ipsa jurisdictio pleno jure immediate mensae episcopali sedunensi pertineat ac esse debeat prout a principio ab ipsa ecclesia descendit eique solidetur et reintegretur perpetuis temporibus, quod privilegium et libertatem petunt laudari per venerabile capitulum sedunense et metropolitanum, si foret necesse. — Responsio: Contentissimus est forma meliori sicut fieri possit, quia hoc specialiter intendit prout id facturum se, pro se et suis successoribus, corporali juramento praelatorum more solito promisit et juravit.

Duodecimus articulus et ultimus. Item, dicunt dictae vallis homines quod fuerunt in pacifica possessione hujusmodi quod quicunque castellanus ordinatus pro tempore in valle Annivisii juravit, prout et ordinandus seu constituendus jurare teneatur, corporaliter ad sancta Dei Evangelia, tenere, attendere et inviolabiliter observare statuta, consuetudines, privilegia, libertates et bonos usus dictae vallis tenebitur inconcusse et in perpetuum, quas franchesias et libertates praesentes scripto ob eorum memoriae commendationem redactas et alios usus ab antiquo observatos dictum occurrentes per praefatum reverendum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Waltherum de Supersaxo, Dei gratia, sedunensem episcopum, praefectum et comitem Valesii, jus et tanquam causam habentem a nobilibus Hilprando quondam et Petermando de Rarognia, olim dominis Annivisii, in vim inter eos factae arbitramentalis pronuntiationis, nunc per obitum dicti quondam nobilis Hilprandi positum in possessionem jurisdictionis vallis Annivisii, dominii,

laudari, ratificari, authenticari etiam de novo, ac jurare observare, pro se et suis successoribus in ecclesia sedunensi canonice episcopis intrantibus, et suo sigillo debite et authentice ad opus dictae vallis communiri, suum pastorale officium in praemissis et circa praemissa humiliter implorando. — Respondit ad articulum: Contentus est secundum formam ut supra.

Quibus peractis et admissis, dicti homines communitatis praedicti, per organum quorum supra, melioribus via, jure, forma quibus magis potuerunt et debuerunt, quod per praesens scriptum seu per scriptos articulos et responsiones non intendunt derogare aliis bonis usibus, consuetudinibus et libertatibus ab antiquo observatis de quibus praesentialiter non recordantur, quin illis possint uti et gaudere sicut prius et ab antiquo faciebant et, in caeteris vero causis et statutis, tam civilibus quam criminalibus seu mixtis, intendunt se uti, tenere et vivere sicut statuta generalia provincialia Terrae Vallesii seu consuetudines, scriptae aut non scriptae, positae, continent et declarant, de quibus protestantur. Quae quidem praemissa omnia et singula praefatus dominus noster sedunensis episcopus, nunc dominus Annivisii, capitula supra scripta modo quo supra rursum aliosque usus et consuetudines hujus vallis de quibus assuetus constabit, habere rata, grata, valida, servare inconcusse in aeternum, pro se et suis dominis episcopis in ecclesia sedunensi succedendis canonice, ponendo manum ad pectus, attendere juravit et non contra ire volenti in aliquo, per se vel alium aut interpositam personam, in judicio vel extra, tacite vel expresse, palam vel occulte, quovis quaesito colore, sub obligatione omnium bonorum mensae episcopalis sedunensis, et dicti homines et singulares personae hujusmodi immissionis instrumentum et alia inde secuta habere inconvulse valida eidemque domino episcopo et suis successoribus, sicut veri vassalli domino suo tenentur fideles esse parereque in rebus justis et honestis, praemissis semper reservatis conditionibus, per juramenta sua superius praestita, sub omnium bonorum suorum obligatione subque omni juris et facti renuntiatione praemissis opportuna. De quibus omnibus praemissis, tam praefatus dominus noster se-

dunensis episcopus, ad opus suae mensae episcopalis sedunensis, et dicti homines et singulares personae, ad opus vallis praedictae, a me, notario subsignato, sibi fieri petierunt publicum et publica instrumentum et instrumenta unum et plura dictandum et dictanda, corrigendum et corrigenda consiliis et dictamine cujuslibet in jure et consuetudine Terrae sapientis, facti tamen principalis substantia in aliquo non mutata. Actum Vissoyae ubi supra, praesentibus ibidem pro testibus spectabili et discretis viris: Gaspardo Partitoris, ballivo Terrae Vallesii, Hans Supersaxo, castellano in Herens et Ayent, Martino de Terra, Thoma Dietzing, Johanne Albi, Theodolo Venetz, Anthonio Lambioz, Peter Schmidt, Nicodo Vallaz et pluribus aliis in numero copioso ad praemissa vocatis et rogatis, sub sigillo praefati domini nostri sedunensis episcopi impenso in testimonium et fidem praemissorum, et me, Anthonio Chaferelli, alias de Vallesio, cive sedunensi, notario publico, qui praesens instrumentum recepit, sed, morte praeventus, illud ingrossari nequivit, vice cujus ego, Henricus Werra, de Vespia, publicus authoritate imperiali notarius, qui hoc publicum instrumentum de commissione speciali reverendi in Christo patris et domini Waltheri (de) Supersaxo, episcopi sedunensis, praefecti et comitis Vallesii, ingrossare feci per alium notarium ex protocolis memorati Anthonii meque subscripsi et signo ac nomine mihi solitis signavi in testimonium veritatis omnium et singulorum praemissorum.

Henricus Werra,
cum parapho.

(Original receptum ab *Antonio Chaferelli* cum episcopi sedunensis sigillo appendente.)

21. Concordia frustra tentata inter nobilem Rodulphum Esperlini et procuratores hominum communitatis vallis Annivisii.

Anno 1468, Indictione 1, 27. martis.

(ANNA-JOSEPHUS DE RIVAZ, canonicus sedunensis, Diplomata ad historiam Vallesiae spectantia, t. XIV. (ab anno 1400 ad 1499) p. 597—599.)

(Ex Archivio annivisiensi autographum.)

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCLXVIII, Indictione prima cum eodem anno sumpta, die vicesima septima mensis martii, Seduni, in castro Majoriae, hora vesperorum vel circa, in conspectu reverendi in Christo patris et domini nostri domini Waltheri, Dei gratia et apostolicae sedis, sedunensis episcopi, praefecti et comitis Vallerii, meique, notarii publici, et testium subscriptorum praesentia, personaliter constitutus nobilis Rodulphus Esperlini, ex una, et Johannes Uldrici, Anthonius Chafferelli, notarius, Johannes Abel, Johannes Chapellaz, Perrerius Chablex, Johannodus de Prato et Jaquodus Caloz, procuratores asserti et eo nomine hominum communitatis vallis Annivisii, ex alia *(altera)*, necnon Johannes Perrini et Petrus de Torrente tamquam fidejussores et principales asserti debitores pro nobilibus Petermando et Hilprando de Rarognia apud magnificos dominos bernenses, ex tertia, de, pro et super eo quod dictus „nobilis Rodulphus „Esperlini vivae vocis oraculo, in praesentia quorum supra, „verum esse exposuit quod, cum nuper, pro quodam arbitrio „super causa mota inter dictum dominum nostrum sedunensem „et ejus patriotas, hinc, et dictum nobilem, inde; domini am- „bassiatores de Berno, Luceria *(Lucerna)* et Friburgo", necnon nulli doctores de Sabaudia, in castro Majoriae fuissent congregati; homines Annivisii seu eorum asserti procuratores illico, in conspectu dicti domini nostri sedunensis, certas, ad opus dictorum dominorum bernensium vel cui de jure interesset, deposuerunt pecunias; prout instrumento inde rogato contineri asserebat, et, cum ipse habeat causam dominorum bernensium,

et inde jam insurgunt magnae expensae apud bernenses expedirentur, et paratus erat easdem nomine dominorum bernensium capere et inde quittantias debitas dare et sufficienter assecurare. Super quo, dicti procuratores hominum vallis praedicti, per organum sui advocati Laurentii Groelly, responderunt prout in instrumento manu dicti Laurentii inde rogato. Dicti vero Johannes Perrini et Petrus de Torrente, tanquam fidejussores ut supra, in haec verba vel in effectu similia, inter multa verba illico habita, dicto nobili Rodulpho responderunt quod, ante omnia, quidquid dicerent vel responderent, non intendebant praejuditium juribus suis, sibi per dominos bernenses, juxta formam litterarum ipsorum dominorum bernensium super remissione et guerentia pignorum suorum in Vallesio remissis, necnon sententiae patriotarum super, inde per dictum dominum nostrum sedunensem et nuntiorum patriotarum latae apud Narres, inter ambassiatores dominorum bernensium et ipsos jam nominatos, suos fidejussores, hinc, et dictum nobilem Rodulphum, inde, super dictis causis, prout litteralibus documentis latius, dum opus fuerit, se ostendere offerebant, de quo expresse protestabantur. Item, „cum ipse Rodulphus, ut asserebat, successit „in jus dominorum bernensium, quibus autem ipsi fidejussores „erant obligati, petebant ut de illis fidem faceret et eis copiam „in forma probatoria daret, ut melius sibi respondere scirent." Item, eo dato, paratos se offerebant sine contradictione, promissionibus per ipsos dominos bernenses factis, sibi solvere et satisfacere, promisso eo, quod et ipse nobilis Rodulphus, ut causam habens ut supra, servet ipsis fidejussoribus ea quae ipsi domini bernenses sub sigillo suo secreto ipsis promiserunt servare et prout ipsi per sententiam patriotarum per ipsum Rodulphum emologatam obtinuerint, esse debere in possessione omnium bonorum ipsis dominis bernensibus obligatorum, aut quod ipse nobilis eosdem fidejussores ab onere hujusmodi fidejussionis quittaret, nomine dominorum bernensium, et parati erant ei reddere bonum computum de venditionibus per ipsos factis, de recuperatis et deliberatis per ipsos. Et, cum ipse nobilis Rodulphus ipsis fidejussoribus nec bona ipsis dominis

bernensibus obligata dimittere vellet, nec ipsos quittare, nec computum cum ipsis facere, protestati sunt ipsi fidejussores, pro se et suis haeredibus, de omnibus dampnis, missionibus et expensis ad causam praemissorum quomodolibet eventis vel eveniendis contra dictum Rodulphum, cum non stet per eos, nec steterit pro praeterito, quominus satisfecissent et satisfacerent de praesenti promissionibus per eos factis secundum tenorem litterarum dominorum bernensium et sententiae domini nostri sedunensis et patriotarum apud Narres datae, si non per ipsum nobilem Rodulphum fuissent indebite impediti prout millies per ipsum nobilem Rodulphum, ut asserebant, impediuntur. De quibus omnibus et singulis praemissis, dicti fidejussores a me, notario subscripto, publicum sibi petierunt fieri instrumentum aut tot et tanta quot fuerint necessaria, quod possit corrigi, refici, rescribi ac emendari, si opus fuerit, ad dictamen sapientium, substantia tamen facti non mutata nec variata. Testesque ad praemissa fuerunt vocati et rogati se vocantes: Johannes Jordani, notarius, Aegidius Ullen, Symon Hengurter, Wullielmus Riss, de Friburgo, Georgius de Terra, et ego, Martinus Saren, de Briga, clericus sedunensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, qui praemissis omnibus et singulis, dum sic fierent et agerentur, praesens interfui, vidi et audivi, inde hoc praesens instrumentum rogatus recepi et levavi manu mea propria et ingrossavi, signavi in testimonium veritatis omnium et singulorum praemissorum.

Martinus Saren,
cum parapho.

---

22. Illi de Gesthinon non habent jus intrandi in vallem de Consches cum suis pecoribus.

Anno 1470, 13. Augusti.

(Inter Annae-Josephi de Rivaz, canonici sedunensis, diplomata manuscripta, tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) pag. 609.)

(Ex Archivio nobilis domini colonelli de Riedmatten.)

Ego Petrus Zuffun major a Monte-Dei-superius pro reverendissimo in Christo patre et domino nostro domino Walthero Dei et apostolicae sedis gratia episcopo sedunensi praefecto et comite Vallesii notum facio omnibus quibus expedit universis quod coram me meisque speratis et aliis probis viris apud Consches in juditio juramento omnium ipsorum ibidem praesentium ipsis omnibus ad sancta Dei Evangeliae praestito confirmata et approbata fuit unanimiter et concorditer sententia lata per probos viros non comparticipes quatuordecim diebus proxime elapsis in dicto loco in juditio, ita quod illi de Gesthinon cum ipsorum pecoribus non intrare debent in vallem eorum de Consches super aliquam cautionem ex quo ipsi de Gesthinon nunquam ab antiquo in dicta valle *scaflotund hultotund* neque custodierunt. Quod si ipsi de Gesthinon de praemissis se gravatos senserint possunt consequi desuper justitiam erga illos de Consches. Datum sub appensione mei proprii sigilli in veritatis testimonium praemissorum praesentibus testibus et dictam confirmationem approbantibus providis viris Anthelmo uff der Eggh de Reckingon, Loro uffum Buel de Castellione-superiori, Gron Capellea pridem Majoribus . . . . . , Hilteprando Hollabaster de superiori Castellione, Petro Esthiler et pluribus aliis fide dignis die decima tertia mensis Augusti anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo.

23. Waltherus de Supersaxo, parans bellum pro recuperando patrimonio Ecclesiae Seduni a ducibus Sabaudiae occupato, omnibus beneficiatis suae diocesis decimam moderatam, scilicet dimidiam decimam veri valoris beneficiorum imponit, a Morgia Contegii superius.

Anno 1474, 7. Decembris.

(In Diplomatibus Annae-Josephi de Rivaz, manuscriptis, tom. XIV. [ab anno 1400 ad 1499] pag. 649—652.)

(Ex Archivio Valeriano — apographum.)

Waltherus, Dei gratia, episcopus sedunensis, praefectus et comes Valesii, universis et singulis Curatis, Vicariis, altaristis, omnibusque aliis ecclesiasticis viris per Civitatem et diocesim nostras, ab aqua Morgiae Contegii superius ubilibet constitutis, quibus praesentes nostrae Litterae fuerint praesentatae, salutem et sinceram in Domino caritatem. Fratres in Christo dilecti, scitis quomodo vos omnes, a tempore promotionis nostrae, non ut dominus vester et praelatus, sed ut frater et socius, humaniter et gratiose tractaverimus et correctiones debitas quas in multos vestrûm ex debito officii nostri exercere debebamus supersedimus, vobis parcendo, unde animam et conscientiam nostras laesas sentimus; poteramus etiam, prout et alii episcopi convicini nostri, tharantasiensis, gebennensis, lausannensis, et alii saltim, anno secundo, clero et omnibus vobis, pro oneribus diocesanis, imponere et recuperare unam decimam veri valoris omnium beneficiorum vestrorum, prout et jure possumus, in quibus omnibus subportavimus vos, existimantes, prout adhuc existimamus, quod ea quae vos habetis et, tempore necessitatis, nos habeamus: Vellemus enim omnes nostros subditos, quantum nobis possibile est, ecclesiasticos et saeculares nutrire divites et potentes; Gloria enim principis est suos subditos nutrire divites et potentes, prout (laus Deo!), ad comparationem aliorum, et vos et nostri patriotae estis. Insuper, non ignoratis

quod patrimonium Sancti Theoduli de facto, longo tempore, per duces Sabaudiae fuit occupatum et detentum, nec enim hoc contenti, sed semper ulterius rodere et jura Ecclesiae sibi usurpare visi sunt. Verum ea defendendi necessitate, tam in Patria quam in Curia Romana, tempore nostro, in tantis expensis et laboribus fuimus ut vix statum et honorem pontificatus sustinere valeremus. Nunc autem, ut nostis, tanta expensa tam in nuntiis et ambaxiatis mittendis quam in stipendiariis habitis, quos cum honore expedire non potuimus qui unde satisfaceremus non habebamus, nunc iterum convocamus, de consilio patriotarum, tam de Berno quam de Lucerna, Schwitz, Uria et Underwaldo, circa triginta equites, qui, veniendo, recedendo et pro ipsorum labore, non modicam capient expensam, quam, sine vestro et patriotarum adjutorio, nullo modo possemus solvere. Speramus tamen, auxilio Dei, patrimonium Ecclesiae recuperare, metas patriae, pro perpetua pace habenda, specificari obtinere. Itaque, sit honor et utilitas nostra vestra, Ecclesiae et patriae, ad quem quilibet bonus patriota tenetur juvare. Hoc ideo, de consilio Sapientium, tam in clerum quam populum onera adjuvandi poscimus, prout in aliis nostris litteris videbitur, scilicet, quia laïci armorum sustinuerunt et non Sacerdotes, ideo ipsos magis subportatos habere expedit, vobis omnibus ecclesiasticis, pro nunc, unam gratiosam decimam, non integram, sed moderatam, ut sequitur, imponimus, quam in manibus recuperatoris nostri, latoris praesentium, et infra terminum subscriptum, sub excommunicationis paena latae sententiae, et sine contradictione per singulos vestros persolvi et expediri praecipimus, videlicet hinc ad proximum festum Nativitatis Domini inclusive, declarantes per praesentes omnes contraventores et non satisfacientes, ex nunc in antea, eorum contumacia causante, ipso facto excommunicatos et a divinis penitus suspensos, donec satisfecerint et beneficium absolutionis obtinere meruerint.

Datum, Seduni, in Vigilia conceptionis Virginis Mariae, anno Domini MCCCCLXXIV.

Sequitur moderatio decimae, quam in summa ad valorem beneficiorum : ad dimidiam decimam veri valoris duntaxat ponimus ut sequitur :

1) Curatus de Conches, cujus cura in vero valore bene valet centum libras, sit media decima V. librarum.

Item, altaristae qui habent viginti libras annuatim, pro media decima, unum ducatum viennensem.

Item, de quindecim libris annualibus, unum ducatum capellani solvant tantum, sicut altaristae.

Item, curatus d'Aragnon simili modo pro media decima solvat quinque libras.

Ejus capellani, vicarii et altaristae solvant ut illi de Conches.

Item, locumtenens de Bundulo solvat duas libras et altarista unam libram.

Item, curatus de Morgia pro media decima etiam quinque libras.

Sui capellani et altaristae solvant prout illi de Conches.

Item, curatus de Narres *(Naters)*, qui potens est et multas habuit subventiones et bona et divitem curam, pro media decima decem libras.

Capellani et altaristae ut supra.

Item, curatus Simploni duas libras et altarista unam libram.

Item, curatus Vespiae, licet forte non tantum habeat, opus tamen est ut de praesenti juvet pro media decima decem libras.

Sui capellani et altaristae secundum ratam ut supra.

Item, curatus de Testum (sic) unum ducatum.

Item, curatus de Choson *(Chouson)* quatuor ducatos.

Sui vicarii et altaristae ut supra secundum taxam.

Item, curatus de Sausa tres libras, sui altaristae sicut caeteri.

Item, curatus Raroniae quatuor libras, sui altaristae sicut alii secundum valorem beneficiorum suorum.

Item, prior Castellionis quinque libras, sui altaristae sicut alii solvant.

Prior de Luech tres libras, altarista sicut alii solvat.

24. Foedus initum inter reverendum dominum Waltherum a Supersaxo, episcopum sedunensem, hinc, et dominos Bernenses, inde, nomine suo et suorum patriotarum.

Anno 1475, 7 septembris.

(In Diplomatibus Annae-Josephi de Rivaz, manuscriptis, tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) paginis 653—661.)

(Ex Archivio nobilis parochiae sancti Mauritii agaunensis.)

Nos, Waltherus, Dei gratia, episcopus sedunensis, praefectus et comes Vallesii, ex una parte, et nos, scultetus, consilium et burgenses oppidi Bernensium in Wechtland *(Uechtland)*, ex altera partium, significamus et notum facimus universis et singulis praesentes litteras inspecturis, lecturis pariter et audituris, quod nos consideravimus multiplicem infidelitatem et in praesentiarum concurrentium periculorum et cum hoc essentiam patriarum nostrarum et personarum quae pluribus in locis connectunt et quod nostrates in dies mutuo conversantur, necnon vicinalem amicabilem voluntatem quam nostri ab utroque latere gratia altissimi invicem tenent. Nunc ergo praecipue plurimum expedit quod nos utrinque eamdem operam demus non solum pro servando quin imo et nobis et nostratibus profuturis utilitate, requie et pace augmentando quemadmodum et praedecessores nostri laudabiles qui, nunc viginti et novem anni sunt, quoque facere et erga se invicem valde finaliter declararunt, sicut litterae tunc temporis datae potissime docent, quam consequendam et perficiendam nos, praelibatus Waltherus, episcopus sedunensis, in propria persona ac ad nos convocamus patriotarum nostrorum de singulis desenis nuntios prudentes et discretos prout nos utrinque de hoc singulariter desideravimus et affectuosi fuimus recepimus appunctuatam diem in *Leuca* et nos illico congregavimus, notanter, videlicet: de deseno *sedunensi*, Johannem (de) Supersaxo, castellanum de Herens, fratrem nostrum, Hans Esperlin, Matthaeum Ayolphi, Henricum War-

nerii, castellanum ipsius loci, Petrum Majoris, de Vex, Johannem Jacobi, Johannem Leron, Johannem Jennetoz, de Nas, Heymo Sylvestris de Herens, Jacobum Glussier, Hans super Crista, Petrum Clavion atque Roletum Hugon, de Savisia; de *Sirro*, Franciscum de Platea, domicellum, Aegidium Vellen, Martinum Venetz, castellanum loci, Johannem Munodi, Petrum Barraz, Petrum Bungniaedi, Johannem Clarex; de *Leuca*, Theodolum Grant, majorem loci, Petrum Oschier, Perrodum Fornerii, Anthonium Perrini, Perrodum Kraffo, Theodolum Eschelerii, Stephanum in Vico, Anthonium Willenci, notarium, Stephanum Henrici, Johannem Pilleri, medicum, Perrinum Jennelten, Petrum Meffex et Johannem Nigri, salterium ipsius loci; de *Raronia*, Paulum Inffener, Stephanum Midrer, Henricum Ambort et Johannem Walther, uffendriste de Morgia; de *Vespia* vero, Petrum de Riedmatten, castellanum loci, Franciscum de Platea, domicellum, Georgium Majoris vallis de Schouson, Petrum super Crista de Stalden et Theodolum Kalbermatter; de *Briga*, propter notabilem montis influentiam, nullus applicuit, ipsi autem nobis scripserunt, super quo nos unacum aliis patriotis nostris fortes pro eisdem gessimus et fecimus de procurando praesentes litteras signari per eosdem; a *Monte-Dei-superius*, Anselmum Uff der Eggen, ballivum hujus patriae nostrae Vallesii, Michaëlem Tschampen, pridem ballivum, Hilteprandum Halenbaster, Verinum Graffen et Aman Könis. Nos autem de Berno, nomine nostro et potestatis nostrae, pro conclusione hujus amicitiae, quoque misimus nobilem, strenuum, peritum et fortem dominum Nicolaum de Scharnachthal, militem, dominum apud Oberhofen, scultetum nostrum, dominum Turig Frickard, in legibus doctorem, scriptorem oppidi nostri, et Urbanum de Mulern, consiliarium et pridem vexilliferum nostrum. Et est in hujusmodi, appunctuata die, post notabile colloquium per nos ambas partes pro et contra factum et habitum novissime, vero sic praelocutum est et conclusum: primo, quod nos ambae partes, notanter nos praenominatus Waltherus, episcopus sedunensis, pro nobis nostrisque patriotis et pro omnibus nostris spiritualibus et temporalibus, erga oppidum Bernense cum eorum

patria et hominibus et nos, praenominati de Berno, pro nobis nostrisque spiritualibus et temporalibus, erga jam nominatum illustrem principem et reverendum patrem et dominum nostrum, dominum Waltherum, episcopum sedunensem, praefectum et comitem, suos, patriam et homines, in spiritualibus et temporalibus, in amicabili et fideli et perpetua amicitia atque vicinitate erga invicem sedere et neutram partium alteri ullum damnum, aerumnam nec rapinam in personis nec cruminam inferre, sed nos utrinque mutuo subsidium, consilium et auxilium praebere debemus et assistere, quemadmodum foedera prius inter nos facta lucidius ostendunt in uno articulo qui de verbo ad verbum sequitur et sic se habet: „Item, quod dictae partes una alteri „subsidium, favorem et protectionem facient et dabunt juxta „posse suum ab omnibus oppressionibus, vi, violentia et operi- „bus facti, et, si casus acciderit quod altera nostrarum prae- „dictarum partium a forensibus, quicunque forent in patriis et „jurisdictionibus nostris, oppressa, invasa et damnificata fuerint, „tunc debet utraque pars ad alteram bonum et fidelem habere „respectum seque exhibere prout in articulo praecedenti." Resultat ulterius etiam neutra partium alteri contra suam bonam voluntatem, ad quid debeat esse adstricta, sed quemadmodum jam dictus articulus docet, cum hoc quaeque debet permanere. Casu autem quo acciderit quod altera partium praedictarum ad guerram cum quocunque perveniret, cum pars altera ante hujus litterae datam afficeretur seu colligata fuerit, quod sibi adjutorium et assistentiam ex honore facere teneretur, tunc debet pars illa, quoad hujusmodi adjutorium ut praemittitur, teneretur, praecipue alteram partem de hoc reddere certiorem sibique significare et nihilominus, priusquam causa ipsa ad guerram perveniat, omnem adhibere diligentiam per quam hujusmodi errores et differentiae sedentur et pacificentur. In eventu autem quod hoc effectum haberi non poterit (quod Deus avertere dignetur!), tunc potest utraque partium facere illud ad quod laus sua et honor ipsam adstringit absque dolo et fraude. Et, si casus acciderit quod dominus illustris de Sabaudia una nobiscum de Berno seu nostris, aut vice versa nos cum ipsa domo

in eorum discordiam pervenerimus (quod Deus avertat!) et quod nos tunc ad faciem justitiae praelibati reverendi domini domini episcopi, sui capituli sedunensis aut ejus patriotarum offerremus et quod tunc hujusmodi Sabaudiae domus hoc facere renueret et refutaret, sed ausu suo temerario in sua praesumptuosa voluntate permanere vellet, ita quod per inde publicae guerrae inter eamdem domum et nos (quod absit et Deus supportare dignetur!) orirentur, tunc nos praelibatum dominum sedunensem patriamque suam monere valemus et monendum habemus nobis subsidium et assistentiam faciendo cum sua potentia in tantis ut sibi juxta essentiam causae suae possibile fuerit et est: hoc facto, tenentur ipsi nos ad justitiam manutenere et defendere casu quo alio modo supportari non poterit, ad quod autem dominus sedunensis et patriotae sui fideliter elaborare consiliumque et auxilium praestare tenentur. Pariformiter, si casus contigerit quod praedesignata domus Sabaudiae una nobiscum supranominatis Walthero, episcopo sedunensi, capitulo aut patriotis nostris, vel nos vice versa, pro Ecclesiae sedunensis seu patriae Vallesii antiqua observata consuetudine, juribus et pertinentiis, aut aliud quoquo modo hoc fuerit, cum eadem domo ad discordiam seu errorem veniremus (quod Altissimus tempore langaevo avertat!), quod noc tunc justitiae offerremus et vellemus parere coram sculteto, parvo et magno Consilio Bernensi quod illorum nobis commodius seu visum fuerit; tamen, etsi talis reciperetur justitia, quod tunc illi qui eidem domui adstricti et obligati fuerint aut nobis suspecti, etiam si de parvo vel magno Consilio Bernensi extiterint, omnimode excipiantur et removeantur et quod tunc domus Sabaudiae hoc refutare et facere nollet, in sua praesumptuosa malitia et temeritate permanendo, ita quod per inde guerrae manifestae inter eamdem domum et nos orirentur, eo casu nos, oppidum bernense, notanter scultetum, suum parvum et magnum consilium monere possimus et monendum habeamus subsidium et assistentiam faciendo cum sua potentia aut tantis sibi juxta causarum suarum essentiam possibile est: hoc facto, tenentur ipsi nos ad justitiam manutenere et defendere casu quo alia via supportari non poterit, ad quod

autem ipsi diligentiam suam fideliter adhibere tenentur. Et si tunc contingeret quod nos utrinque, praetextu dictarum monitionum et causarum, erga domum Sabaudiae ad guerram manifestam veniremus et nomine guerrae quidquam residuaremus, tunc debet utraque partium alteram de hoc defendere et manutenere et neutra partium absque altera nec appunctuare pacem nec concordiam tractare nisi de ambarum partium scitu et voluntate, quin imo ambae partes tamquam fratres, et in pace et in guerra, in hoc mutuo parmanere, necnon unanimiter facere et obmittere debent. Item, si acciderit quod nos, Waltherus, episcopus sedunensis, capitulum nostrum aut homines patriae nostrae cum oppido bernensi vel contra nos de Berno unacum domino nostro sedunensi, ejus capitulo aut patriotis suis, nunc vel in futurum, perpetuis temporibus discordes efficeremus, tunc debet quaelibet nostrarum partium duos honestos qui pacem diligunt et justitiam praecipue, nos, episcopus sedunensis aut patriotae nostri, arbitros nostros recipere debemus de et ex parvo Consilio Bernensi, nos autem de Berno quoque arbitros nostros de et ex Patria Vallesii accipere debemus, qui arbitri hujusmodi errores et differentias audire, videre et diligenter scissitari et juxta audita, litteras et informationes, ac, necesse si fuerit, mediante justitia, in locis communibus limitrophis, aut ubi partibus utrinque commode fieri poterit, pronuntiare debent et distinguere et quidquid ipsi unanimi consensu vel saltem major pars inter eosdem, et, casu quo in partibus amicitiam habere non possent, jure pronuntiarent et declararent, in hoc debent manere, appellatione cessante; et, casu quo ii quatuor unanimes non essent, nec majorem facerent partem, tunc nos, ambae partes, debemus unum super-arbitrum cum consensu et voluntate ambarum partium eligere qui ad quam partem in suis sententia et declaratione in hujusmodi causa differentiae tendit, in hoc debet quoque ut supra sine ulteriore appellatione permanere. Si vero inter nostros error seu discordia, ratione debitorum vel alias, orirentur, debet actor sequi forum rei et debet utraque praedictarum partium procurare quod in suis jurisdictionibus pro hujusmodi debitis et motionibus

summaria ministretur justitia, quemadmodum quidem nostri qui simul connectunt causas et jura sua erga se invicem ab antiquo usitarunt, tum hoc debet quoque a modo permanere. Et debet neutra partium nostrarum praedictarum alteri inimicum seu hostem in domibus suis nec alias quoquo modo sustentare, necnon utraque pars alteri emptionem et venditionem dare tenetur et singuli nostrates mercantias suas vel alia sua honesta facta pertractare per patrias et jurisdictiones nostras duci et uti sine omni impedimento valeant, solutis tamen pedagiis et salvo conductu sicut ab antiquo consuetum fuit. Item, si contingeret quod quis malefactor in patria altera nostrarum partium aut jurisdictionibus delictum committeret et tunc fugam ad alterius partis terram vel jurisdictionem daret, quando tunc una pars alteram super hoc requisierit, tunc debet malefactor ipsi parti responderi sine omni contradictione, demptis homicidis inconsultis qui absque propositione homicidium perpetrarent et quae homicidia honesta appellantur et tales ad respondendum non tenentur, sed debent secundum juris ordinem, casu quo ab aliqua parte de et pro justitia ministranda requisitum et intromissum fuerit, judicari et bona quae tales penes se haberent judici coram quo justitia fit permanere debent. Item, si accideret quod altera nostrarum partium cum quocunque commercia haberet et ab alia gente pro stipendio suo seu ad gratiam peteret quantum tunc una pars alterius partis homines habere poterit, ii debent sibi sequi et ab alia parte minime tardari nec retineri cum quo non fuerint adversus illos quibus pars illa prius colligata foret; etiam, si contingeret unum patriotam ex Vallesio de patria ipsa in nostram de Berno jurisdictione se extrahere, hic illico a nobis retineri non debet patriae Vallesii in praejuditium et detrimentum. Et vice versa, pariformiter, casu quo quis ex oppido Bernensium et jurisdictione in nostras, saepefati episcopi sedunensis, jurisdictionem vel patriam fugam acciperet, qui a nobis ibidem quoque minime retineri debet dicti oppidi bernensis in detrimentum aut offensam. Debet etiam nullus de nostratibus partis alterius incolis per aliena spiritualia nec temporalia juditia vexari, demptis pro causis matrimonia-

libus et contractibus publicis manifeste usurariis, et, si quis in contrarium fecerit, hic a parte cui subjicitur ab hac desistendum haberi debet et illi quem vexavit expensas emendare. Et, circa omnia praedesignata, nos, ambae partes, et principaliter nos Waltherus, episcopus sedunensis, pro nobis, capitulo et patriotis nostris, pariter et nos de Berna, pro nobis nostrisque, nunc et in futurum et perpetuis temporibus, permanere debemus eisdemque haerere et fideliter sequi; sed tamen, si contingeret quod nos de caetero in hujusmodi foederibus quid ulterius declarare, minuere vel augmentare vellemus, id ex unanimi consensu licite facere possimus, quod nobis in praemissis utrinque praeservamus. Et, ne praemissa oblivioni tradantur, nos hujusmodi nostrum foedus perpetuum in instanti, et deinceps de decem ad decem annos, per ambassiatam nostram, semper in die festo Sancti-Jacobi, apostoli, coram communitate nostra vel potestate ad haec interesse debentibus, cum una partium alteram super hoc requisierit vel pars requisita alteram quoque requireret, iuramentis instructis, tam dandis quam recipiendis, jurare debemus, et, si hujusmodi juramentum per nos, de ambarum partium voluntate, obmitteretur, nihilominus debet praesens littera in suo pleno remanere robore, debentque per hoc foedus pristinum omniaque alia foedera quae antecessores nostri et nos ad invicem fecimus pro nostra parte mortua, cancellata et cassata fore, nos itaque inde minime ligari prius omnibus praemissis liquide sequendis, nos, saepenominatus Waltherus, episcopus sedunensis, nomine ut praedesignatur, laudamus fide nostra, more praelatorum, et nos de Berna in bona fide et honore, omnibus dolo, fraude et quidquid contra praemissa esse poterit semotis. In quorum omnium praemissorum robur, fidem et memoriam perpetuam, nos, jam dictus Waltherus, episcopus sedunensis, sigillum nostrum regaliae ad praesentem litteram et nos de Berna pariter sigillum nostrum apposuimus et, pro majori robore, nos etiam, decani, sacrista et cantor et capitulum Ecclesiae sedunensis et Valeriae, necnon nos, patriotae praedicti de omnibus et singulis desenis, videlicet de *Seduno*, de *Sirro*, de *Leuca*, de *Raronia*, de

Vespia, de *Briga*, quamvis in hujusmodi dieta nuntios nostros non habuerimus, et a *Monte Dei superius* sigilla nostra solita et consueta quoque ad praesentem litteram apposuimus (duae aequales factae), unam pro nobis, episcopo sedunensi, capitulo et patriotis nostris, aliam vero pro nobis de Berna. Datum et actum, Leucae, die septima mensis septembris, anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo quinto.

Translata est et haec praesens copia ex alamano in latinum a suo originali debite ut supra sigillato de verbo ad verbum, nihil addito nec semoto quod substantiam sensus immutet, per me *Simonem in-Albon*, publicum imperiali et apostolica auctoritatibus notarium, ad praesens a Morgia inferius gubernatorem. In cujus rei fidem, me hîc subsignavi cum sigilli mei in paribus apponi soliti impressione. Datum, in Sancto-Mauritio agaunensi, die quarta mensis octobris, anno salutis humanae MV^c^XXV (1525).

Simo in-Albon, notarius publicus.

(Cum parapho.)

---

25. Festum septem gaudiorum Virginis Mariae anniversarium victoriae a valesianis patriotis de sabaudis copiis reportatae.

Anno 1475. — die 13 Novembr.

(Ex Annae-Josephi de Rivaz Vallesio episcopali, tom. III. pag. 683. — Copia copiae satis informis archivii Valeriani.)

Waltherus (de) Supersaxo, episcopus sedunensis, in memoriam perpetuam et gratiarum actionem victoriae a patriotis vallesianis de sabaudis copiis anno Domini 1475 die tridecima novembris reportatae, auxiliante beata Virgine Maria caeterisque diocaesis et patriae patronis, ad cleri et populi instantiam festum in honorem Septem gaudiorum ejusdem beatissimae Virginis hac ipsa die hujus victoriae anniversaria celebrandum instituit.

Beatissima Dei genitrix Virgo Maria, a suis primordiis Domino consecrata propter ejus beneficia inaudita, quae incessanter omnibus Christi fidelibus in suis necessitatibus ad eam confugientibus remedians auxilium et patrocinium communicare non desistit, ipsa enim est gubernatrix extremae potentiae, impetratrix veniae et mater militantis Ecclesiae, unde *Bernardus* in sermone *de laudibus Virginis Mariae* dicit: „Sileat ille solus a „laudibus Mariae qui eam invocatus in necessitatibus suis sibi „meminerit defuisse."

Nos hoc ob ideo, Waltherus, indignus ecclesiae cathedralis ejusdem Virginis sedunensis servitor et episcopus, capitulum et clerus ejusdem et universus populus Christi praedictae ecclesiae spiritualiter et temporaliter subjectus, merito, si grandi ingratitudinis vitio argui nolimus, silere quantum vires sufficiunt non debemus nec a laudibus ipsius gloriosissimae Virginis Mariae, sanctorum Theoduli et Catherinae, patronorum nostrorum, cessare, sed indefessas et continuas gratiarum actiones referre de grandi gratia, auxilio adjutorio et victoria quae non humana fuit, sed divina, ecclesiae suae sedunensi et suis subjectis, de proxime, temporibus nostris, et oculariter vidimus precibus eorumdem patronorum ab alto, de anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo quinto, in festo sancti Bricii, concessa contra Sabaudos, ab antiquo patriae inimicos et ecclesiae Virginis Mariae sedunensis infestos, cujus historia talis est:

Accidit quod, die et anno quibus supra, illustris dominus Johannes-Ludovicus de Sabaudia, tunc administrator ecclesiae gebennensis, absque aliqua justa causa, sua praesumpta voluntate, cum nobilibus praecipuae nobilitatis Sabaudiae usque ad numerum quindecim virorum [1]), perduxit usque ad civitatem et ecclesiam sedunensem, eamdem sibi usurpari volens cum igne et sanguine invasit, villas par ochiae Savisiae combussit, pueros, mulieres qui non fugerunt quos reperit interfecit et nonnullos usque ad portas sedunensis civitatis insecutus fuit: ecce quam (dignum est miraculo [attribui]) in civitate sedunensi fuere

---

[1]) Forte „*quindecim Centum virorum equitorum.*"

tercentum viri, qui medii in civitate manentes, alia pars illorum, totam inimicorum aciem invadentes, eosdem in fugam converterunt et de eisdem quingentos et ultra interfecerunt, inter quos tredecim bandereti reperti sunt, magnamque copiam armorum et equitorum pretiosorum populus Vallesii praedatus est. Deinde, fugatis inimicis congregatisque patriotis Vallesii Contegium obsiderunt, ceperunt et castrum fregerunt, omnes villas, a Morgia inferius et monte Sancti Bernardi usque ad Sanctum Mauritium agaunensem inclusive, quas prius comites Sabaudiae Ecclesiae sedunensi reincorporaverunt, magnis aliis Sabaudis ab inde inferius datis damnis, cum gaudio et triumpho ad propria redierunt. Cujus victoriae consideratione, pro gratiarum actione potentissimae Virginis Mariae sanctisque Theodulo et Catharinae, in perpetuam rei memoriam, consentiente clero et populo, institutione generali institutum fuit ut ipsa dies victoriae (quae sancto Bricio festiva erat) festivari, feriari et solemniter, singulis annis et perpetuis temporibus, celebrari debeat, et nos, Waltherus, episcopus praedictus, novum eodem die festum, Septem Gaudiorum Virginis Mariae, in nova nostra capella ejusdem, patronis adjungimus et consecrari disponimus, volentes et praecipientes, de consensu et voluntate cleri et populi, ut, singulis annis, ipsa die, dictum festum festive celebretur et ipsa dies festivetur, memoriaeque omnium vivorum et defunctorum qui in ipso bello interierunt fiat, cum psalmis penitentialibus et collectis consuetis celebrando, eorumdem anniversarium, ut Deus, pater misericordiarum, piis misereatur defunctis, ipsumque officium et festum beatissimae Virginis Mariae festive peragatur in laudem et gloriam ipsius, ut, sicut contra inimicos suam terram invadentes fortis fiat defensatrix, in recuperandis supradictis adjutrix, ita ad manutenendum easdem manus porrigat adjutrices, relictisque bellis suam in pace sibi grata perpetua ponat Ecclesiam, quodque precibus nobis concedat qui vivit et regnat, amen!

Ut autem omnis fidelium multitudo ad memoriam praefatae festivitatis Septem Gaudiorum Virginis Mariae arctius et devotius excitetur, nos, Waltherus, episcopus praedictus, omnibus Christi

fidelibus, confessis et contritis, qui dictum festum devote celebraverint et imprimis Matutinis primae, tertiae, sextae, nonae, Vesperis et Completorio interfuerint, de thesauro meritis ecclesiae, auctoritate omnipotentis Dei, necnon sanctorum Petri et Pauli apostolorum, ejusdem Virginis Mariae et sancti Theoduli, patroni nostri, confidentes, totiens quotiens cuilibet Horarum interfuerint, quadraginta dies criminalium verae indulgentiae perpetuo valiturae, de injunctis sibi poenitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

---

26. Nicolaus de Scharnacthal, dominorum de Berna et Friburgo capitaneus, homines Sancti-Mauritii agaunensis relaxat obedientias et fidelitates episcopo ecclesiaeque sedunensi et patriotis Vallesii facere et praestare.

Anno 1476, sexdecima Martii, indictione nona.

(Archives de l'abbaie de Saint-Maurice. Charte communiquée par Mr. le chanoine *Boccard.*)

In nomine Domini amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum quod anno ab incarnatione ejusdem Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo sexto, indictione nona, cum eodem anno sumpta diem siquidem decima sexta mensis Martii in mei notarii publici et testium subscriptorum praesentia propter infra scripta salubrius peragenda fuerunt personaliter et specialiter constituti prudens vir Anthelimus (Nantelmus) Uff der Eggen ballivus Terrae Vallesii ex una, et vir nobilis Nicolaus de Scharnacthal de Berna pro magnificis viris dominis de Berna et Friburgo in Sancto-Mauritio agaunensi capitaneus deputatus ex altera, necnon provid viri Franciscus Erpini notarius et Roletus Allemandi bur-

genses et sindici villae Sancti-Mauritii agaunensis ex reliquis partibus. Cum praelibatus ballivus Vallesii unacum quam plurimis capitaneis et armigeris armatae militiae Sancti-Theoduli tam suo quam reverendissimi in Christo patris et domini Waltheri Dei et apostolicae sedis gratia episcopi sedunensis praefecti et comitis Vallesii et singulorum patriotarum ejusdem patriae Vallesii nominibus instantissime peteret et requireret per eosdem sindicos burgenses et communitatem villae et totius mandamenti castellaniae Sancti-Mauritii agaunensis praelibatis reverendissimo domino nostro sedunensi episcopo suaeque venerabili Ecclesiae sedunensi ac patriotis Vallesii juramenta fidelitates et obedientias sine dilatione ulteriori fieri et praestari ad quod se opposuerunt praedicti sindici burgenses et homines communitatis villae et castellaniae praedictae Sancti-Mauritii agaunensis, dicentes se sub custodia et firmissimo sequestro in manibus praefatorum magnificorum dominorum de Berna et Friburgo fuisse et esse repositos et reductos quod quidem sequestrum firmiter tenere et observare vellent ac teneri et observari per dictum dominum ballivum Vallesii debita cum instantia postularunt, et praefatus nobilis vir Nicolaus de Scharnacthal praefatorum magnificorum dominorum de Berna et Friburgo capitaneus ad custodiendum hujusmodi sequestrum unacum sodalibus sibi adjunctis et assistentibus eisdem sindicis burgensibus villae et communitatis praedictae castellaniae Sancti-Mauritii agaunensis in similibus verbis diceret et responderet: „Domini „mei, vera sunt quae dicitis opponendo et allegando, sed attento „et considerato quod treugae inter dominum Sabaudiae et domi„num episcopum sedunensem et patriotas Vallesii factae fuerunt „et sunt fractae, violatae et lapsae propter insultum tam nobis „quam patriotis Vallesii factum per Sabaudos tam in Contegio „et castro Martigniaci quam circa hanc villam Sancti-Mauritii „agaunensis et quondam domina duchissa Sabaudiae guberna„trix totis conatibus adhaeret duci Carolo Burgundiae nostro „mortali inimico et quod ipsa domina duchissa cum potentia „suam partem manifestam contra dominos nostros Bernenses „Friburgenses et ipsorum confoederatos fecit, unde merito hujus-

„modi sequestrum tanquam fractum et violatum finivit et expi-
„ravit. Hinc est quod ego Nicolaus praefatus capitaneus nomine
„et ex parte eorumdem magnificorum dominorum meorum de
„Berna et Friburgo et de speciali mandato eorumdem vos sin-
„dicos burgenses et homines communitatis villae ressorti et
„mandamenti castellaniae Sancti-Mauritii agaunensis cum pleno
„dominio jurisdictione, mandamento, ressorto, juribus, pertinen-
„tiis et appendentiis suis universis et singulis hactenus solitis
„usitatis et consuetis praelibatis reverendissimo domino sedunensi
„episcopo Ecclesiaeque suae sedunensi et singulis patriotis
„Vallesii foederatis nostris carissimis et in manibus dicti domini
„ballivi Vallesii praesentis stipulantis vice, nomine et ad opus
„quorum supra relaxo, trado, remitto et penitus ac omnino re-
„linquo ut praepetita juramenta fidelitatesque et obedientias ut
„supra petitas eisdem faciatis et praestetis sicuti veris dominis
„vestris ac superioribus, et vos propterea ab omni sequestro et
„juramento fideque et fidelitate in quibus nobis dicti sequestri
„vigore obligamini et astringimini totaliter libero, quitto et ab-
„solvo cum promissionibus necessariis et opportunis sine dolo," de quibus omnibus et singulis praemissis praelibatus dominus ballivus Vallesii nominibus reverendissimi domini nostri sedunensis episcopi et patriotarum Vallesii et praedicti Franciscus Erpini et Roletus Allemandi sindici et sindicatorio nomine villae et mandamenti castellaniae Sancti-Mauritii agaunensis petierunt a me notario publico infra scripto ipsis fieri et tradi duo instrumenta publica unius substantiae utrique parti unum. Acta fuerunt haec publice apud Sanctum-Mauritium agaunensem in platea paravisi ante domum heredum Jacobi de Bertheriis praesentibus ibidem viro religioso domino Guillielmo Ursi canonico devoti monasterii Sancti-Mauritii agaunensis et rectore hospitalis ejusdem loci et Johanne Udran alias Crestu parochiae Massongiaci cum pluribus aliis astantibus testibus ad praemissa vocatis specialiterque rogatis.

Et ego Johannes Jordani de Briga diocesis sedunensis publicus auctoritate imperiali notarius quia praedictis traditioni, remissioni, relaxationi et omnibus et singulis praemissis dum sicut

praemittitur fierent et personaliter interfui eaque sic fieri vidi et audivi in notamque sumpsi, unde hoc praesens publicum instrumentum propria manu scriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis mihi solitis et consuetis signavi rogatus et requisitus in testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Johannes Jordani,
cum parapho.

---

27. De impositionibus ab incolis vallis de Abundantia per armigeros Vallesii superioris patriotas, durante bello veragrico dicto, requisitis, inter Vallesianos et Sabaudos peracto.

Anno 1476, 23. mars, à Saint-Maurice.

(In Annae-Josephi de Rivaz, canonici sedunensis, diplomatibus manuscriptis, tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) pag. 669—671.)

(Ex Archivio nobilis familiae de Vantery Montheolensis.)

Anno Domini millesimo quatuorcentesimo septuagesimo sexto, indictione nona et die vicesima tertia mensis Martii, in Sancto-Mauritio agaunensi, in nostrum, Johannis Jordani et Johannis Sovey, notariorum publicorum, praesentia fuerunt personaliter constituti prudentes et discreti viri nobilis Johannes de Platea, Johannes de Supersaxo, capitaneus de Seduno, Jaquerius Philippi de Platea, de Ayent, Perrodus Solliardi, de Saviesia, Janus Inderschwincht, de Herens, et Mermodus Repotini, de Vernamisia, pro se ipsis et toto deseno sedunensi; Anthonetus Perrini, de Sirro, Anthonius Ludovici, de Lens, Perrodus Callo, de Annivisio, Johannes Chafferelly, de Vercorens, pro se ipsis et toto deseno Sirri; Perrinus Oggerii, alias de Cabanis, capitaneo-generali de villa Leucae *(Louèche)*, Johannes de Petra, de

Sarquerio, Perrodus Martini de Balneis, Johannes de Petra, de Inden, Roletus Bunders, de Ergis, Perrinus Peseti, de Embda, pro se ipsis et toto deseno Leucae; Thomas Mayschen, vexillifer, Bentischo Kalbermat, Christianus Riltller pro illis de Liesch et de Castillione; Michaël Ambort, notarius de Morgia *(Moerell)*, et Mauritius Guicht pro se ipsis et toto deseno Raroniae; Petrus Margerien, Thomas Barthelmei, Simon Venetz, Bartholomaeus Kuntschen, capitaneus, Jahannes Venetz, Aegidius Ferberst, Petrus Majoris, pro se ipsis et toto deseno Vespiae; Petrus Bergnaro, Aegidius Guetschen, Michaël Owlig, pro se ipsis et toto deseno Brigae; Georgius Melbaum, Johannes Stadler, capitaneus, Hilteprandus Ermen, de Conches, Matthaeus Stephan et Aegidius Herders, de Arogna, pro se ipsis et toto deseno de Monte-Dei-superius, facientes se pro se ipsis et caeteris patriotis Vallesii in hoc actu fortes et promittentes de rato habendo, ex una, et Mermetus Massy, Jaquetus Brellaz, Mermetus de Portis, Martinus Curtaz, Johannes Cropt, Berthetus Fabri, Mermetus Curdy, omnes vallis Habundantiae, pro se et aliis incolis et inhabitantibus vallis praedictae, pro quibus se faciunt fortes et promittunt de rato habendo, partibus, ex altera. Cum verum sit quod praelibati vallis praedictae Habundantiae requisierint instanter praedictos patriotas Vallesii, suis et nominibus totius communitatis vallis praedictae, de salvando ipsorum corpora, bona, tecta, quaecunque in guerra praesenti quam Vallesienses et Sabaudiani invicem habent, hinc est quod praedicti domini patriotae, precibus ipsorum inclinati, praefati Mermetus Mussy et alii superius nominati, non vi, non dolo, sed scientes et spontanei, pro se et suis et pro praedicta communitate totius vallis Habundantiae, a loco de Morgens usque ad aquam vocatam Ougmon, confessi sunt se debere et legitime solvere teneri communitatibus Vallesii praesentibus, stipulantibus et recipientibus, pro se et suis, videlicet *octies centum* et *quadraginta florenos* parvi ponderis, monetae cursibilis in Sabaudia, quolibet floreno valente duodecim grossos (solidos) monetae predictae Sabaudiae, solvendos videlicet septem viginti (140) florenos intra octo dies proxime inclusive, in bona et prompta pecunia, et

residuum, septem (*septies*) centum florenos, infra octavas proxime futuri festi Paschae, similiter in prompta pecunia, juramentis suis ad sancta Dei Evangelia corporaliter praestitis et sub obligatione omnium bonorum suorum, mobilium et immobilium, praesentium et futurorum, quorumcunque et, pro majori securitate, ad preces et requisitionem praedictorum confitentium, se constituerunt fidejussores et principales solutores et payatores pro praedictis confitentibus et eorumdem altero et similiter pro dicta communitate et Valle Habundautiae videlicet: Franciscus Arpini, Roletus Allamandi, de Sancto-Mauritio, notarii, Ansmodus de Cabulo, Henricus de Petra, Johannes de Pratopyri, Nicodus de Margueraz et Nicodus de Prato, omnes de Montheolo, qui omnes et ipsorum quilibet insolidum pro toto se constituerunt fidejussores et principales solutores pro dictis confitentibus de solvendo summam praedictam, unacum damnis, missionibus, etc. Et, in defectu solutionis terminorum praedictorum seu aliquo eorumdem, sex patriotae de quolibet deseno eligendi possunt quilibet cum suo equo eligere hospitium ubi voluerit et ibidem exponere ad hostagium veneale et quidquid ibidem exposuerint, debeant et teneantur; atque promittunt, praefati, tam principales solutores quam fidejussores et ipsorum quilibet in solidum, supportare, solvere et expedire sine contradictione per juramenta ipsorum, scilicet ad Sancta Dei Evangelia corporaliter praestita, et obligationem omnium bonorum suorum, mobilium et immobilium, praesentium et futurorum, quorumcunque. Et fuit actum et per pactum expresse deductum, conventum, locutum et arrestatum inter dictas partes quod praefati domini patriotae, mediantibus et praedictis octies centum et quadraginta florenis parvi ponderis, pro se ac suis et tota patria Vallesii, pro qua se fortes faciunt et de rato promittunt, in praesenti guerra teneantur et debeant assecurare quos de praesenti assecurant salvosque et securos tenere promittunt ipsos incolas et habitatores vallis Habundantiae infra terminos et confines praedictos neque eosdem in corpore, nec in bonis neque in tectibus et domiciliis ipsorum, ullo pacto gravare, damnificare nec laedere quomodolibet, dummodo praedicti incolae et habi-

tatores nullum praejuditium et gravamen inferant dictis patriotis Vallesiae molestiam sive guerram inferant. Casu autem quo ipsi attemptaverint in futurum et in guerra praesenti aliquid contra eosdem dominos patriotas facere praesumpserint, quod tunc ipsi domini patriotae similiter non sint ligati, quin etiam possint damnificare eosdem de Habundantia. Et haec dicti domini patriotae promittunt, pro se et nominibus quibus supra, juramentis ipsorum, tenere et observare, submittentes se, tam principales debitores quam fidejussores superius nominati et quilibet ipsorum pro toto, singulariter et in-solidum, omnibus curiis, spiritualibus et temporalibus, et potissime curiae Camerae apostolicae, et quod possint et valeant per eosdem dominos patriotas de una curia ad aliam conveniri et processus in una fulminatus in alia prosequi possit et, quod in una sumptus fuit (fuerit), in alia non impediatur, et quod possint ubicunque locorum barrari, sequestrari, levari, incontari, detineri, excommunicari, arqueri (arceri), rearqueri, interdici usque ad interdictum ecclesiasticum cum invitatione brachii saecularis, donec et quousque eisdem dominis patriotis fuerit solutum et satisfactum de praemissis, principali et expensis. Renuntiantes omnibus juribus, actionibus etc. — Actum publice hoc, in Sancto-Mauritio agaunensi, in platea Parivisi, ante domum Augustini de Bertherinis, praesentibus ipso etc.

Ita recepi cum praedicto Johanne Sovey, notario publico.

Jordanus, notarius publicus.

(E *minutis* ejusdem notarii Sovey quae asservantur in archivio domini quondam Johannis de Vantery, bannereti *montheolensis*.)

---

28. Littera Waltheri episcopi sedunensis viris communitatum vallis de Bagnes super juribus abbatiae agaunensis Sancti-Mauritii in eadem valle.

Anno 1477, 7 février.

(Archives de l'abbaie de Saint-Maurice, Recueil de l'abbé Charleti, tome III., pag. 13. Ex Annae-Josephi de Rivaz Vallesio episcopali, tome III., pag. 671.)

Waltherus, Dei et apostolicae sedis gratia, episcopus sedunensis, comes et praefectus Vallesii, fidelibus nostris in Christo providis et discretis viris communitatum Vallis de Bagnes parrochiae et de villagio salutem et omne bonum!

Recolimus nos alias vobis significasse litteraliter „quod nos „et nostri non intendimus nec in voluntate sumus occasione „guerrarum cum illustri domo Sabaudiae habitarum derogare „juribus quae justo titulo et jure devotum monasterium agau- „nense in valle et parrochia vestris habet, promittendo, prout „et per praesentes, nomine nostro et subditorum nostrorum, „promittimus, ut mutuo cum fratribus dicti monasterii sine „praejuditio jurium pax habeatur, in eisdem de officiariis pro- „viderit," prout alias in eisdem litteris nostris, ad quas super his relatio habeatur. Nihilominus, cum querela venerabilis et religiosi viri domini cantoris dicti devoti monasterii perceperimus quod vos in iis rebelles et inobedientes exhibeatis, quin imo et minis repulsam detis, in quo satis erratis nec sapienti utimini consilio unde in futurum modicam potestis reportare utilitatem, unde iterum super his vos avisos reddimus ut non contra venientes faciatis cum eisdem fratribus amice quae facere tenemini et concorditer de officiario provideatur, donec reverendus pater dominus abbas reversus fuerit, quo reverso tunc, si aliquid contrarietatis erit inter vos et ipsum, elaborabimus pro unione ambarum partium et pro utilitate potius jus habentis, ut nullus indebite suo jure privetur. Hoc enim faciendo et utilitatem vestram justitiaeque debitum facietis remque pergratam nobis

exhibebitis. Sapienti pauca. Semper bene valete! Datum Seduni, in castro Majoriae, die septima mensis februarii, anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo septimo (7 febr. 1477).

---

29. Conditiones, quibus inferior Vallesia a dominatu Ducis Sabaudiae redit sub potestatem D. D. Patriotarum superioris patriae; — ubi de sorte tunc Nobilibus Vassalis oblata et de affranchiamento a manu mortua et a taillibilitate ad misericordiam plebis concesso.

Die 31. Decembr. 1477.

(Ex archivio Valerierno Seduni.)

Nos Johannes Grand, utriusque juris Doctor, Sedunensis et Lausannensis Canonicus, Officialis et locum tenens generalis in spiritualibus et temporalibus Rmi. in Christo Patris et Domini nostri Domini Mathaei Schiner, Dei et apostolicae sedis gratia, Sedunensis Episcopi, Praefecti et Comitis Valesii, universis et singulis ad quos praesentes pervenerint notum facimus per praesentes, quod Nobis, ad jura reddenda et causas audiendum pro Tribunali sedentibus pro parte proborum hominum de *Jserabloz* Dioces. Sedun. praesentatum fuit realiter et cum effectu quoddam publicum Instrumentum, in papireo descriptum, subscriptum et subsignatum manu quondam providi viri Johannis Jordani, notarii de Briga, sanum, integrum, non vitiatum, non cancellatum, nec abrasum, nec in aliqua sui parte suspectum, ut prima sui facie apparebat, sed omni prorsus vitio et suspicione carens; quod transsumi et exemptari et de eodem exemptari et transsumptum sive litteras de *Vidimus* sic nuncupatas, in forma authentica et probante per Instrumentum publicum confici et redigi dignaremur, pro suo jure et interesse, autoritatemque et decretum nostros interponi supplicaverunt et

requisierunt. Quorum petitionibus tanquam licitis et rationi consonis adnuentes, dictum instrumentum papireum ad nos recipientes vidimus, palpavimus, tenuimus et legimus et summarie ex officio nostro, sumpta informatione, de praemissis, a viris providis Johanne de Prenseriis, Georgio Nanseti, Johanne Kunschen, Petro Binder Consyndico Sed., Petro Inderritten, Notariis et Curiae praelibati Reverendissimi Domini nostri Sed. Episcopi et juratis, Johanne Rudaz, cive Sed. pluribusque aliis fide dignis, providis, etiam litteratis et praticantibus viris nobiscum existentibus; qui eorum mediante juramento dixerunt et attestati sunt supradictum Johannem Jordanum dictum instrumentum papireum supra exhibitum per nos visum et lectum scripsisse et signasse, prout revera agnoverunt scripturam et signetum solitum esse Johannis Jordani Notarii. Quae quilibet vidit et ipsorum bene novit illud instrumentum papireum de verbo ad verbum nihil addendo vel mutando praesentibus nostris litteris inseri facimus; cujus tenor sequitur et est talis:

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis Patris et filii et Spiritus Sancti. Amen. Ne ea quorum in praesentiarum habemus notitiam per temporis processum a memoria labi contingat, consuevit prudentium antiquitas res gestas prout gestae sunt scripturae testimonio commendare: ea propter noverint universi tam praesentes quam futuri: Quod anno ab Incarnatione ejusdem Domini M. CCCC. LXXVII°, Indictione decima, cum eodem anno sumpta die vera jovis intitulata ultima mensis Decembris, in mei Notarii publici et testium subscriptorum praesentia, propter infra scripta peragenda, fuerunt specialiter et personaliter constituti:

Reverendissimus in Christo Pater et Dominus noster Dominus Valtherus Supersaxo, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Episcopus Sed., Praefectus et Comes Valesii, nec non prudentes viri Perrinus de Cabanis, alias Ogerii (vel Augerii) Baillivus Terrae Valesii, Antonius Prers Castellanus, Johannes Supersaxo, Hans Asperlini, Henricus Warneri, Benedictus Kalbermatter, Simon Rapilliardi, Johannes Jungen et Nicodemus Huger Sindicus; Cives Sedunenses et Antonius Franc Notarius de Ayent suis et totius

Communitatis et Deseni Sedun. nominibus; Franciscus de Platea Castellanus, Petrus in domo lapidea et Petrus Bagniodi de Lens, suis et totius Communitatis Deseni de Sirro nominibus; Johannes Perrini Vice-Dominus, Petrus de Vicco Notarius Burgensis Leucae et Perrodus Frely de Sasquenoz, suis et totius Communitatis Deseni Leucae nominibus; — Paulus Tuffeners Notarius, Thomas Mayschen de Rarognia, Gregorius Supersaxo, Major Thomeli Contegii de Morgia, Gasper Luonschen Notarius de Castellione et Claus Largner de Liech, suis et totius Communitatis Deseni Rarogniae nominibus; — Hans Zerroten Castellanus, Petermandus zu Riedmatten, Georgius Majoris Notarius, Anthonius Zerrotten et Hans Wuistiner Major de Prato Borno, suis et totius Communitatis Deseni Vespiae nominibus; — Hilteprandus Oeger Castellanus, Anthonius Lener, Aegidius Venech, Petrus Melzilten, Anthonius Neffen et Martinus Zurren Notarius, suis et totius ..... Deseni de Narres et Briga nominibus; — Michaël Zchumperi et Anthonius Uffder olim Ballivi Valesii, Johannes Homber Major, Georgius Folken, Wuillemus Kuons, Waltherus Humberscht et Thomas Biderbosten, suis et totius ..... Deseni a monte Dei superius nominibus.

Qui quidem pro commodo, honore et utilitate Reipublicae, Ecclesiae Sedun. et patriae Valesii, in generali Concilio hodie tento et celebrato, terrarum, hominum et aliarum rerum a Morgia Contegii [1]) inferius ad Ecclesiam Sedun. et patriam Valesii, in guerra noviter transacta, de manibus Illusmi. Principis et Domini Di. Sabaudiae Ducis restauratarum, et illarum occasione congregati unanimiter et concorditer Capitula subscripta statuerunt, ordinaverunt et concluserunt, ut ecce:

1) Et primo quod praelibatus Reverendissimus Dominus noster Sedun. Episcopus, cum maturo concilio praedictionum suorum patriotarum, omnes et singulas terras, districtus, dominia, mandamenta et jurisdictiones a Morgia Contegii inferius et superius, quae praefatus Illustrissimus Dominus Dux Sabaudiae, Ecclesiae Sed. et patriae Valesii per longa tempora removerat et de facto

---

[1]) Contey: — *Gundis.*

usque ad guerram transactam possederat, nec non omnes et singulos nobiles, habitatores et incolas dictorum dominorum et mandamentorum et ipsorum in posterum successores in suam Ecclesiaeq. Sedunensis et patriae Valesii obedientiam, tuitionem et defensionem recipiat, tanquam suos, Ecclesiae et patriae Valesii fideles et Vassallos subditos et compatriotas perpetuis temporibus manutenebit.

2) Item, quod Memoratus R. D. n. Sedunensis Episcopus, cum concilio praedictorum suorum patriotarum terrarum et mandamentorum a Morgia Contegii inferius et superius ad omnia, universa et singula bona ipsorum, mobilia et immobilia, quae per guerram non fuerunt ipsis oblata quaecumque et ubicumque infra praedictos confines existentes, ita quod illis abinceps uti, frui et gaudere possint reponat et restituat, cum tamen declaratione subscripta.

3) Item, quod praefatus Rdus. Dnus. noster Sed. Episcopus cum concilio etc., pro se et suis in Episcopatu Sedunensi Successoribus canonice intrantibus et suis patriotis Valesii quaecumq. jura Regalia, dominia, mandamenta, jura feudalia, jurisdictiones et homines directi dominii quae et quas alias praefatus Dnus. Dux Sabaudiae seu quicumq. alii nobiles in eisdem terris habebant altae et bassae una cum ipsorum officiariis sibi expresse reservavit. De quibus praefati Nobiles se amplius intromittere non debeant, quoniam de mente ipsius Dni. nostri Sedun. Episcopi et suorum patriotarum praedictorum procedit, quod in tota patria Vallesii tam a Morgia Contegii inferius quam Superius non sit nisi unus dominus spiritualis et temporalis, videlicet praelibatus Reverendissimus Dominus noster Sedunensis Episcopus, qui pro nunc est vel qui pro tempore fuerit; qui officianos suos per singula officia suae Ecclesiae Sedun. et patriae Valesii nominibus deputaverit.

4) Item, quia praefati Nobiles et alii quicumque merito habere debeant unde vivant, eorumq. necessitati provideant, ac eccl. Sed. et patriae Vallesii, dum expedierit, servire possint; unde mandabitur pro parte ejusdem Reverendissimi Domini nostri Sedun. Episc. et suorum patriotarum universis et singulis

probis hominibus eorumdem Nobilium reddituariis sive censuariis in patria, jurisdictione et terra a Morgia Contegii inferius et superius existentibus quatenus ex nunc in antea, perpetuis temporibus, omnes redditus, census, servitia, taillas, ordinationes, arrestas annuatim solvi consueti loco usagiorum, quae ab antiquo et justo titulo debebantur, sub natura et conditione simplici census seu usagii sine quavis alia servitute annis singulis prout ante guerram solvebatur, nobilibus illis qui obedientiam fecerunt et praesentibus litteris paruerunt seu in futurum parebunt, dum modo constabit quod praefati Nobiles seu alii fugitivi ad obedientiam, gratiam et misericordiam per Dictum Reverendissimum Dominum nostrum Sedun. Episcopum et ejus patriotas Valesii recepti fuerint, solvant, respondeant et cum effectu satisfaciant.

5) Item, quod praelibatus Dominus noster Sed. Episcopus, cum concilio omnes et singulos pauperes homines eorumdem Nobilium, qui per antea talliabiles ad misericordiam seu manum mortuam fuerunt et ad alias servitutes et onera quam plurimum subjiciebantur, a modo in antea ab hujusmodi talliabilibus, servitutibus et oneribus, secundum declarationem superius descriptam, perpetuis temporibus sint et remaneant liberi, quieti, franchi, salvi et immunes, taliter quod nullus nobilium praedictionem hujusmodi talliabiles, servitutes oneraq. et gravamina eisdem probis pauperibus hominibus per eosdem Nobiles imponi solita et consueta abinceps imponere minime possint nec valeant, salvis tamen omnibus aliis, quae praevidenti necessitate Eccl. Sed. et patriae Valesii propria defensione seu necessitate imponerentur. Et hoc de gratia speciali, ut ipsi pauperes homines se aliquo modo refectos et ad mitius dominium transitos agnoscant.

6) Item, quod omnes Nobiles et alii quicumque qui pro tempore guerrae a dictis guerris fugerunt, qui in patria Sabaudiae residentiam continuam fecerunt et faciunt habentes in dictis terris jurisdictiones, census, redditus, servitia seu usagia aut alia quaecumq. bona mobilia et immobilia, teneantur et debeant talem obedientiam, fidem et fidelitatem facere et

praestare praelibato Reverendissimo Domino nostro Sed. episcopo et suis patriotits Valesii, qualis pro eisdem bonis alias Illustrissimo Domino Duci Sabaudiae faciebant et praestabant et stare in pactis praedictorum Nobilium et facere et adimplere ea quae in his litteris continentur.

7) Item, quia praefatus Reverendissimus Dominus noster Sed. Episcopus et ejus patriotae Valesii, in hujusmodi guerra transacta non modicas expensas sustinuerunt, ipsa quoque patria a Morgia Contegii inferius fuerit et sit hinc inde, diversis in locis, per Dominos Duces Sabaudiae, pro magnis pecuniarum quantitatibus, hypothecata; ideo praefatus Reverendissimus Dominus noster Sed. Episcopus, cum consilio suorum praedictorum patriotarum, tam pro subsidio hujusmodi onerum et debitorum persolvendorum quam pro hujusmodi reconciliatione et receptione compositionis statuerunt et ordinaverunt, quod omnes et singuli habentes, in dictis terris a Morgia Contegii inferius et superius, sive fuerint Nobiles sive non, aliquas tallias ordinarias, census, redditus, servitia, usagia, bona mobilia et immobilia et qui tempore guerrae a dictis terris seu laribus propriis se fugitivos exhibuerunt et libenter ad propria reverterentur et qui residentiam fecerunt in Sabaudia et tamen libenter gaudere vellent de bonis suis, existentibus infra praedictam patriam, teneantur et debeant ad taxam proborum (hominum), in octava parte substantiae bonorum suorum mobilium et immobilium quorumcumq. praelibato Reverendissimo Domino nostro Sedun. Episcopo et suis patriotis Valesii contribuere et subvenire: in quo subsidio ipse Reverendissimus Dominus noster Sed. Episcopus et sui patriotae ipsos nobiles et alios, in quantum ipsis possibile erit, secundum onera occurentia et etiam secundum quod ipsi offenderunt humaniter et misericorditer tractabunt: et hoc quoad illos qui ad obedientiam et fidelitatem in tempore venerunt: — qui vero in tempore non venerunt, sed expectarunt *Messiam* et ultra annum praesentem et omnes cridas contumaces se exhibuerunt, illos decreverunt debere ultra octavam partem puniri et castigari, ut differentia sit inter illos qui cito et qui tarde venerunt ad obedientiam et fidelitatem.

8) Item, quod ab hac taxa octavae partis bonorum exempti et exclusi sunt illi nobiles, qui dominia alta et bassa in dictis terris habuerunt, quae nunc sibi sunt ablata, quae octava pars, ne duplici virga verberentur, ipsis nobilibus recumpensatur et distrahitur. Et his non obstantibus praefati nobiles nihilominus teneantur pro omnibus aliis eorum bonis quibuscumque praelibato Reverendissimo Domino nostro Sed. Episcopo et suis patriotis Vallesii facere obedientiam, fidelitatem, fidem et recognitionem.

9) Item, quod praelibatus Reverendissimus Dominus noster Sed. Episcopus cum concilio praedictorum suorum patriotarum omnes illos qui debent tam praefato Reverendissimo Domino nostro Sed. Episcopo et suis patriotis Valesii quam aliquibus aliis Nobilibus aliquos census, redditus et taillas, usagia et alia quaevis tributa infra eosdem confines, propter guerrarum discrimina rerum ipsarum perditionem non modicum duntaxat per unum annum integrum et non ultra ab illorum solutione misericorditer et de gratia speciali liberavit, solvit et relaxavit.

10) Item, quod praelibatus Reverendissimus Dominus noster Episcopus, cum concilio suorum patriotarum praedictorum expresse protestati fuerunt quod possint et valeant quoties ipsis videbitur opportunum et necessarium praedicta capitula, vel in toto vel in parte ad opus et utilitatem Reipublicae, Ecclesiae Sed. et patriae Valesii reficere et corrigere et in melius commutare sine dolo.

Quae quidem capitula omnia et singula supra scripta, illico et pleno concilio generali, lecta, publicata et promulgata, praelibatus Reverendissimus Dominus noster Sed. Episcopus et ejus Nuncii et Ambassiatores omnium desenorum superius descripti, nemine discrepante, unanimiter et concorditer, laudaverunt, approbaverunt, ratificaverunt et ipsa inviolabiliter per quoscumque et a quibuscumque teneri et observari voluerunt, mandaverunt, ordinaverunt et decreverunt.

De quibus praemissis praeceptum fuit mihi Notario publico subsignato ad opus illorum quorum interest et intererit aut interesse poterit quomodo libet in futurum, fieri publicum instrumentum seu instrumenta, unum vel plures, tot quot

fuerint necessaria, ad dictamen Sapientum corrigenda, substantia tamen facti in aliquo non mutata.

Acta fuerunt haec Seduni, in Castro Majoriae, in stupa magna ejusdem, anno, indictione, die et mense quibus supra; praesentibus ibidem discretis viris Johanne de Prato, de Martiniaco; Amadeo Cavelli et Antonio Mermeti Notariis Burgensibus Sancti Mauritii Agaunensis et Christiano Rüttl, Servitore dicti Domini Ballivi, Castellano de Bagnyes et Johanne Loretan etiam Servitore dicti Domini Ballivi et pluribus aliis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis et me Johanne Jordan, de Briga, Castellano Sancti Mauritii Agaunensis etc. qui etc.

Johannes Jordan.

Praemissis propterea attente omnibus et singulis per Nos visis et mature consideratis ad dictorum hominum Communitatis seu Vallis de Iserabloz principalium instantiam et humilem requisitionem eadem supra dicta omnia et singula per nos subsignatos et Curiae nostrae Juratos exemplari et transsumi ac in publicum transsumpti instrumentum et formam authenticam seu de *Vidimus* nuncupatam redigi jussimus; et Mandamus per praesentes ipsorum jure et interesse volentes et auctoritate nostra decernentes, quod praesenti nostro Transsumpto et exemplari instrumento publico ac de *Vidimus* litteris de cetero in antea ubicumque locorum in judicio et extra stetur, illique detur et adhibeatur talis et tanta fides qualis et quanta dicto proprio Instrumento publico ex inde per eumdem Johannem Jordan levato et signato adhiberetur, si in judicio exhiberetur. Quibus omnibus et singulis tanquam rite et legitime factis auctoritatem nostram et decretum nostrum duximus interponendum et interposuimus prout praesentium tenore interponimus.

In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium praemissorum praesentes litteras instrumentumque publicum transsumpti de *Vidimus* seu levationis dictorum nostrorum registrari exinde et confici jussimus per Notarios nostros ut praemissum est subsignatos sub sigillo praefati Reverendissimi Domini nostri Sed. Episcopi, in talibus apponi solito, quod jussimus apponendum.

Actum Seduni judicialiter in nostro Causarum Auditorio, die decima septima mensis Maii, anno Domini M. D. VIII., praesentibus ibidem viris discretis Jacobo Vualdini, Petro de Torrente, Civibus Sedunensibus, Johanne Girardi, Notariis, testibus ad praemissa vocatis et interpellatis. Sic ut praemissum est, visum, palpatum et decretum per Nos Johannem Grand Vicarium.

Et per me Petrum Freganti, Clericum, Civem Sedunensem, publicum Apostolica et imperiali autoritatibus Notarium Curiarumq. Reverendissimi Domini nostri Sed. Episcopi juratum, qui praemissarum litterarum superius insertarum Requisitionis judicialiter factae ad instantiam virorum honestorum Martini Fabri, Martini Merlet, procuratorum hominum Vallis et Communitatis Aceris praesentationi, exhibitioni, receptioni, lectioni et supra dicti exemplaris et litterarum de *Vidimus* nuncupatarum concessioni, authenthicationi pariter et decreto per praefatum Dominum officialem et Vicarium praefati Domini nostri Sed. Episcopi ac sibi concessa et facto praemissisq. omnibus et singulis per eumdem Dominum Officialem et Vicarium Sedunensem decreta, dum sic, ut praemittitur, agerentur et fierent una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi indeque praesens publicum instrumenti transsumpti seu de *Vidimus* rogatus recepi et in hanc publicam formam redegi una cum notario subsignato meque aliis occupato negotiis per alium idoneum Notarium ingrossari feci, signoq. et nomine meis solitis una cum sigillo Reverendissimi Domini nostri Sed. Episcopi appositione et sub figura praefati Domini Vicarii signavi in testimonium praemissorum.

Et me itaque Laurentio de Berthinis, Cive Sed. autoritatibus imperiali Reverendissimi Domini nostri Sed. Episcopi Notario publico, qui praemissarum literarum superius insertarum requisitionis judicialiter factae, ad instantiam honestorum virorum Martini Fabri et Martini Merlet suis et procuratorio nominibus hominum et personarum Vallis et Communitatis de Acere procuratoribus receptioni, lectioni et supra dictarum Exemplaris seu de *Vidimus* litterarum nuncupatarum concessioni, authenti-

cationi pariter et decreto per praefatum Dominum officialem et Vicarium praelibati Reverendissimi Domini nostri Domini Mathaei Schiner, Dei et apostolicae Sedis gratia Sed. Episcopi ac sibi concessarum et factarum praemissisq. omnibus et singulis per eumdem Dominum officialem et Vicarium praefatum Decretarum dum sic agerentur et fierent praesens interfui una cum Notario et testibus supradictis ut praemittitur; eaq. suprascripta sic fieri vidi et audivi, hocque praesens publicum transsumpti seu de *Vidimus* rogatus recepi et in hanc publicam formam manu alterius Notarii scriptum instrumentum publicis aliis occupato negotiis fideliter ingrossari feci, ideoq. me subscripsi signoque et nomine meis solitis signavi fideliter et tradidi in testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Datum pro copia a suo proprio originali sumpta.

---

30. Articuli maximi momenti consilio generali nuntiorum seu deputatorum a patriotis septem desenorum patriae Vallesii per Waltherum (de) Supersaxo episcopum sedunensem signati.

Anno Domini 1482, sexta februarii.

(Inter Annae-Josephi de Rivaz, canonici sedunensis, diplomata manuscripta, tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) paginis 719—722.)

(Authographum ex archivio odetino.)

Waltherus Dei gratia episcopus sedunensis praefectus et comes Vallesii prudentibus et egregiis viris ballivo et nuntiis septem desenorum patriae Vallesii ad praesens consilium generale super agendis pro republica regenda ad civitatem nostram Sedunum convocatis et congregatis salutem.

Causas convocationis istius consilii vobis significamus per capitula subscripta super quibus petimus a vobis consilium quo modo et per quem modum melius et utilius sit ordinandum et

providendum pro utilitate Ecclesiae et Patriae ac Reipublicae cum debita justitia.

Et primo quia, ut experientia docet, quod per inundationes aquarum videlicet Rhodani et fluminum hinc inde collateralium omnes viae publicae et stratae regales, pontes et passagia adeo sunt destructae et destructa ut non solum mercantiae quae per patriam duci consueverunt duci nequeant, quin ymo ii qui sunt in patria et vicinus ad vicinum vix secure valeat ambulare.

Item quia pro reformatione itinerum et stratarum tam inter communitates ubi illae reformationes sunt necessariae quam spirituales dominium et jurisdictionem habentes in locis periculosis oritur controversia, una parte volente album, alia nigrum, ut provideatur, ne ob hoc respublica et utilitas communis detrimentum patiatur quilibet constitutus in honore etiam pro quota sibi contingente substituatur in onere.

Item quia terra Ecclesiae sedunensis ab aqua Morgiae inferius per longa tempora per Sabaudiae comites et postea duces vi occupata fuit (fuerit) et per eosdem dominis friburgensibus pro dote dominae de Wurtemberg impignorata et magno debito (h)ypothecata nunc ad Ecclesiam sedunensem auxilio Dei reducta partim opusque sit pro pace quiete habenda cum dictis dominis friburgensibus et eorum adhaerentibus ut ipsa dos de qua Ecclesia sedunensis nihil debebat solvatur, licet jure non teneamur, provideatur sano consilio per quem modum citius ipsa terra a dicta (h)ypothecatione liberetur et francetur ac computus fiat de solutis in deductionem principalium.

Item quia jam a multis annis citra audivimus dissentiones, lites et contrarietates inter nonnullos nobiles terrae nostrae dominia altum dominium et ultimum supplicium in suos vasallos habere praetendentes hinc et nostros officiarios se opponentes et allegantes ultimum supplicium sibi fore remittendum cum ipsi nobiles nec territoria limitata nec furcas nec truncos habeant inde ultimum supplicium remittendum sit officiario alti domini qui in hoc jurisdictionem habeat et nullus alter; et ne inter eosdem causa detur alicujus contrarietatis, sed quilibet sciat quid facere debeat et nemo alter alteri justitiam suam

impediat ac et nobiles et officiarii nostri sine querelis mutuo fraterna caritate vivant, vobis committimus ut super hoc maturo consilio declaretis quod justum vobis videatur idque et nunc et in futurum inviolabiliter ab utrisque partibus servetur.

Item quia communitates ab aqua Morgia inferius in solvendo usagia et reemptiones in quibus nobis et patriae tenentur se multum remissos et tardos ad solvendum constituunt et usagia cum usagiis cumulantur, ut nulla possit fieri satisfactio friburgensium allegantes, paupertatem et caristiam, ut provideatur quid in praemissis sit faciendum.

Item quia ad aures nostras pervenit quod ad causam quod nonnulli patriotae de haeresis crimine suspecti et propter ipsum crimen fugitivi ad alia tribunalia absque et praeter id quod aliquod gravamen sibi sit illatum recurrunt rescripta impetrants nos et officiarios nostros molestant et litibus involvunt, in patria multum est murmur etiam detractio nobis aliis dicentibus quod nos velimus habere in manibus nostris causas et spirituales et civiles unde ipsi patiuntur has novitates quas a memoria hominum nunquam passi sunt, si permisissemus judicare officiarii, nostris temporalibus de ipsis haereticis prout nostri praedecessores fecerunt ipsi bene docentur tales fugitivos alia transire via et quodam modo minantur per opera facti velle obviare et modum reperire quod a talibus molestiis liberentur.

Respondemus quod id quod fecimus fecimus hoc ideo quod jura ita volunt ut de haereticis usque ad ultimum supplicium exclusive omni modo jurisdictio pertineat ad Ecclesiam, et ut subditi nostri in prio.ibus erroribus non maneant et animas suas non gravarent in his in quibus ipsis est interdicta potestas laboravimus prout tenebamur et tenemur; valde enim contenti essemus si jure ab onere hujusmodi inquisitionis liberati essemus et alii id facerent, quae esset nobis grata et laeta exoneratio.

Item quia vidimus in praeteritum saepe per commotionem populi in patria Vallesii venire in conventia elevationes armorum et opera facti exerceri quae quantum possumus cavere et inhibere debemus prout eadem poenis fortioribus centum marcarum argenti et prout possumus omnibus subditis nostris

mediatis et immediatis inhibentes quatenus de justitia sint contenti relinquendo spiritualia in spiritualibus et temporalia in temporalibus omni obstaculo et impedimento remotis sub praedictis poenis.

Isem sub eisdem poenis praecipimus ut caveatur ne aliquid facere vel attemptare praesumatis contra debitam obedientiam in qua sanctae Romanae Ecclesiae et superioribus nostris tenemur, quod si secus feceritis pro non facto et irrito habere volumus et haberi praecipimus sub poenis quibus supra; item per hoc tamen nolentes impedire ut, si sibi et parlamento nostro videantur aliqua justa et juridica ad obstandum et praesentibus et futuris periculis et in quiete populi ordinanda, facienda et determinanda per quae status Reipublicae gubernetur, pax et justitia conserventur et populus pacatus permaneat, impedire nolumus prout nec debemus quin ymo in eisdem et in omnibus quae jure debemus cum obedienta debita superiorum nostrorum tales sicut vos erimus, juvabimus et auctoritatem damus praesentium tenore et non aliter nec alio modo.

Datum Seduni in castro nostro Majoriae die sexta mensis februarii anno Domini millesimo quatercentesimo octogesimo secundo.

(Locus sigilli.) Symon Heymen.

Lecti et publicati fuerunt omnes et singuli suprascripti articuli lingua vulgari coram omnibus desenorum patriae Vallesii nuntiis a Morgia superius numero copioso congregatis in stupa (*stupha, salle*) magna castri Majoriae ubi super singulis per eosdem nuntios patriotarum consultum et sententiatum fuit per modum ut per litteras inde confectas plenius continetur. Datum die septima mensis februarii anno Domini MCCCCLXXXII.

Georgius (de) Supersaxo.

Ex ipso originali parvo sigillo episcopi Waltheri munito fideliter desumptum per me Annam-Jostphum de Ripa, historiographum reverendissimi domini nostri sedunensis episcopi.

31. Ad instantiam episcopi sedunensis Jodoci de Sillinon, capituli sedunensis et procerum patriae Vallesii prohibet Innocentius papa VIII. ne deinceps alii quam oriundi e civitate vel diocaesi sedunensi aut ex Alemania promoveantur in canonicos aut dignitates ejusdem Ecclesiae sedunensis.

Anno 1486, decima tertia Calendas septembris (20 août.)

(Inter Annae-Josephi de Rivaz, canonici sedunensis, diplomata manuscripta, tomi XIV. (ab anno 1400 ad 1499) pag. 751—752.)

Ex archivio valeriano, littera B. n. 10.

Innocentius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam cunctis orbis Ecclesiis disponente Domino praesidentes circa singularum statum vigilamus eosque sic cupimus utilis provisionis ope dirigi ut Ecclesiae ipsae auctore Domino felicibus proficiant incrementis. Sane pro parte venerabilis fratris nostri episcopi sedunensis nobis nuper exhibita petitio continebat quod si canonici Ecclesiae sedunensis de civitate et diocesi sedunensi duntaxat aut saltem ex Alamania originem traherent profecto Ecclesia ipsa illorum ac parentum et consanguineorum eorumdem potentia et favore munita in spiritualibus et temporalibus in dies grandia susciperet incrementa et sanctorum plurimorum reliquiae, libri, calices, cruces ornamenta et alia ecclesiastica suppellex ejusdem quae in castro Vallesiae dictae civitatis Seduni loco munitissimo in limitibus Alemaniae sito apud ecclesiam sanctae Catharinae dicti loci membrum dictae Ecclesiae sedunensis conservantur per talium canonicorum et illorum obsequiis insistentium compatriotarum manus fidelius et securius quam per aliunde praesertim ex locis vicinis oriundos verisimiliter pertractarentur. Quare pro parte episcopi et populi praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quidem de caetero nullus canonicatum et praebendam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium dictae Ecclesiae sedunensis obtinere possit in posterum nisi de civitate vel diocesi

aut saltem de Alemania praedictis oriundus existat statuere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui Ecclesiam praedictam sincera in Domino diligimus caritate hujusmodi supplicationibus inclinati quod de caetero nullus canonicatum et praebendam ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium dictae Ecclesiae quavis etiam apostolica auctoritate in posterum perpetuis futuris temporibus obtinere nullatenus possit nisi de civitate vel diocesi aut de Alemania a praedictis vere non ficte oriundus existat apostolica auctoritate praesentium tenore statuimus et ordinamus, ac praefato et pro tempore existenti episcopo sub interdicti ingressus ecclesiae et capitulo sedunensi sub suspensionis a divinis ac singularibus personis ejusdem capituli sub excommunicationis latae sententiae poena, ne quempiam non oriundum ex civitate vel diocesi aut Alemania praedictis in canonicatum et ad dignitates, administrationes et officia hujusmodi recipiant in posterum quovis quaesito colore eadem auctoritate inhibemus statuto quoque et ordinationi hujusmodi per quascunque concessiones et litteras apostolicas nusquam censeri derogatum nisi dum et quotiens praesentium litterarum de verbo ad verbum vere non ficte inserto tenore ad episcopi et capituli praedictorum supplicationem pro evidenti dictae Ecclesiae utilitate derogari contingeret et non alias nec alio modo etiam per quascunque clausulas derogatorias efficaciores et fortiores hujusmodi specialem mentionem importantes quae apponerentur in illis necnon irritum et inane si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari praetacta auctoritate decernimus, sicque per quoscunque auditores et judices judicari et interpretari sublata quavis alia interpretandi et judicandi facultate dicta auctoritate mandamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque seu si episcopo capitulo et personis praefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praefata sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli

ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, ordinationis, inhibitionis, constitutionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac bb. (beatorum) P. (Petri) et P. (Pauli) apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quatercentesimo octogesimo sexto, tridecima Kalendas septembris, pontificatus nostri anno secundo.

(A cette bulle pend attaché à un cordon de soie jaune et blanche le sceau en plomb de ce pape portant „Innocentius VIII".)

---

32. Series instrumentorum in lite et controversia diu inter Contegienses et Savesienses agitata ab anno 1421 ad annum 1437.

(Ex Archivio contegiensi.)

---

a) Instrumentum pacis et concordiae inter dominum Aymonem de Sabaudia et Landricum episcopum sedunensem, — 1233.

b) Permutationes factae inter illustrem dominum Petrum de Sabaudia et Henricum episcopum sedunensem, — 1260.

c) Remissio dictarum permutationum per dominum Philippum comitem Sabaudiae et Burgundiae, — 1265.

d) Instrumentum pacis et concordiae inter dominum Amedaeum Sabaudiae comitem et Bonifacium episcopum sedunensem, — 1301.

e) Et ibi est inserta littera convocationis inter dominum Thomam comitem et episcopum Landricum sub data — 1301. (date du traité postérieur dans lequel cet acte est inséré.)

Et est inserta Conventio de non aquirendo terram Ecclesiae sine consensu episcopi.

f) Transactio facta inter illustrem dominum Amedaeum comitem et episcopum Guichardum et Capitulum, — 13.3. (Le troisième chiffre est effacé.)

g) Instrumentum venditionis factae per ambassiatores illustris domini comitis Sabaudiae et Eduardi episcopi sedunensis de terra

dominorum de Turre in Vallesio, et ibi est acquisitio domini comitis de dicta terra facta a dominis de Turre inserta — 13 . . (manquent deux chiffres.)

h) Certarum conventionum inter illustrem dominum Sabaudiae comitem et patriotas Vallesii, — 1315.

i) Homagiorum mutuorum praestitorum inter dominum Amedaeum comitem Sabaudiae et Aymonem epicopum sedunensem, — 1308.

k) Transactionis factae inter illustrem dominum Amedaeum comitem Sabaudiae et Eduardum episcopum ex una et patriotas Vallesii ex altera, de anno — 1385.

Et hic est remissio Martigniaci et terrae a Morgia inferius et promissio solvendi xlv (45) millia florenorum veterum ratificata per papam.

l) Bulla ratificationis factae per papam Clementem et transactio facta inter episcopum Eduardum et patriotas Valesii, — 1386.

m) Transactionis seu pacis factae inter illustrem dominam Bonam comitissam Sabaudiae et patriotas Vallesii, et in ea debent xxv (25) millia florenorum b. p. (id est boni ponderis) et hinc inde remittuntur injuriae et venditionis factae per ambassiatores, — 1392.

n) Conventionum et confoederationum inter illustrem dominum Amedaeum comitem Sabaudiae et Guillielmum episcopum sedunensem et patriotas Vallesii, — 1400.

Et hic est de remissionibus faciendis delinquentium et quod priores conventiones ratae maneant et emologationes factae de dictis conventionibus per Capitulum, per patriotas allamannos Vallesii, illorum de Leuca, de Annivisio et plurium aliorum locorum patriae Vallesii, de anno — 1400.

o) Instrumentum confoederationum factarum inter illustrem dominum Sabaudiae comitem Amedaeum et episcopum ac patriotas Vallesii — 1410.

p) Ratificationes factae per dominum Amedaeum Sabaudiae comitem de dictis confoederationibus die prima Augusti anni — 1410.

Plures petitiones tam ex parte illustris domini Sabaudiae comitis quam ex parte Vallesiensium.

Item processus factus coram arbitris electis, de anno — 1415.

Et effectu ex parte domini nostri est petitio praedicto domino apostolico facta quia captivaverunt eos qui ibi destinabantur (savoir à l'Ossola).

Et ex parte Vallesiensium dampnum de Platta.

Item addiderunt de novo petitionem castrorum.

II.

Das lateinische Statut

der deutschen Colonien im Thal von Formazza im obern Piemont, vom Jahr 1487,

nebst

Nachträgen und einem Auszuge aus den Freiheitsbriefen der Thalgemeine

von

J. RUDOLPH BURCKHARDT,
Dr. Jur. Fiscal in Basel.

Das deutschredende Thal Formazza oder Pommat im obern Eschenthale an den Quellen der Tosa gelegen, von Reisenden wegen des Tosafalles häufig besucht, wird von schweizerischen Chronik-Schreibern nicht früher als beim Jahre 1410 erwähnt. Tschudi bemerkt (fol. 654) bei Gelegenheit des ersten schweizerischen Feldzuges nach Domo d'Ossola, man rede dort deutsch, man nenne es Bonnmatt, zu welsch Formo, es liege unter der „träufenden Flue" (Tosafall), zunächst dem Valdoso und dem Passe Gries.

In italienischen Quellen kommt unseres Wissens dieses Thal zuerst zu Zeiten Kaisers Otto IV. (um d. J. 1200) vor, welcher den Guido de Rhodes Valvassore mit Formazza und andern Ländereien im Antigorio-Thale belehnt habe. Es macht einen Theil des Eschenthals aus und kam 1381 mit Domo d'Ossola unter Mailand. Die Schweizer bemächtigten sich desselben mehrere Male in den Jahren 1410—1422, konnten es aber nie länger behaupten, als so lange sie eine starke Besatzung darin aufgestellt hatten. Es scheint, dass bereits unter den Rhodis